



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin


Lohner, Tobias


Dilingæ, 1676

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



Th. 2829.





INSTRUCTIO
PRACTICA
SECUNDA

DE HORIS
CANONICIS

*Juxta Rubricas Breviarii Romani
ritè recitandis.*

In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevi-
bus illustratæ, & Martyrologij Romani no-
mina suis Accentibus signata
continentur,

AD FACILIOREM DISCENTIUM
VSVM AC PRAXIN.

AUTHORE

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE.

*Cum Gratia, & Privilegio Sacræ Cæs. Majestatis,
Et facultate Superiorum.*



D I L I N G Æ

Typis & Sumptibus JOANN. CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.

Per JOAN. MICHAËLEM SPÖRLIN.

Anno M. DC. LXXVI.

REVERENDISSIMO,
PERILLVSTRI, ET
AMPLISSIMO

S. R. I. PRÆLATO

Domino, Domino

DIONYSIO

Libero Baroni de Rehlingen
& Haltenberg &c.

Ex immediatis Sacri Romani Statibus Anti-
quissimi, & Nobilissimi Collegij Canonorum
Regularium Ordinis S. AUGUSTINI, ad Beatissimam
VIRGINEM in Wettenhausen DEI gratiâ

ABBATI DIGNISSIMO,

Domino Dynastiæ in Knöringen.

NEC NON

Ejusdem SS. Canonico - Apostolici Ordinis
per Sueviam & Bojariam

VISITATORI VIGILANTISSIMO,

DOMINO MEO GRATIOSO.



Escio, quæ insolita mihi his diebus
fortuna, aut Superûm potiùs obtige-
rit favor, REVERENDISSIME, PER-
ILLVSTRIS, & AMPLISSIME DOMINE
PRASUL, dum, quem molimine plerumque & la-
bore

EPISTOLA

bore maximo anxie quærunt alij lucubrationibus suis Patronum, & tamen vix reperiunt, ego nullo propemodum adhibito conatu quæsitum, imò vel ultro benevolè occursantem sum nactus. Vix certè de ejusmodi Patrono eligendo cogitare cœperam, cùm, ecce, mox suavissima Tua, humanissimâque species menti, memoriæque objecta est, Præsulis nempe prudentissimi, sapientissimi, & sanctissimi, atque adeò & Patroni omnibus votis expetendi; quem enim aptiorem *Instructioni* huic meæ de *Horis Canonicis* Patronum vel optare potuissem, quàm Te, in quo, sive Religionem, quam profiteris, intuear: Sive Collegium, quod gubernandum suscepisti, considerem: sive dotes, quibus largissimè à DEO exornatus es, contempler, omnia *Canonica*, id est, ad exactissimum humanæ, divinæque Sapientiæ, nec non & Virtutis, perfectionisque absolutissimæ Canonem, legemque composita reperio.

Et Religionem quidem, quam professus es, sanctissimam, inquam, antiquissimâque beatissimi, & de universa Ecclesia præclarissimè meriti Patris Augustini Familiam, quidni *Canonicam* jure dixerim, quæ non modò saluberrimis Sanctionibus, Regulisque, quas velut perfectissimam Sanctitatis, perfectionisque Religiosæ normam plures, quàm quadraginta Religiosi Ordines postea assumpserunt, divino magis, quàm humano instinctu est instructa, verùm etiam earundem exactissimâ observatione brevi tempore latissimè diffusa, atque adeò celebris evasit, ut, teste Hectore Boëthio l. 7. hist. Scot.

innu-

DEDICATORIA.

innumeri ex ea Viri, sanctitate, doctrinâ, Prælaturâ insignes; teste Ticinensi verò p. 2. hist. l. 2. c. 1. 2. 3. 14. 22. nominatim quinquaginta Romani Pontifices, mille quingenti sexaginta septem Cardinales, Beati sedecies mille ducenti felicissimè prodierint, & quod, ut ipse Ticinensis loquitur, *breve quidem elogium est, sed prolixum totius laudationis, quæ nulli unquam Religiosæ Congregationi attributa fuit, suffragium est, quingentis & amplius annis totam Ecclesiam Romanam sapientissimè, felicissimèque gubernârit?*

Sed & ipsum, quod præclarissimè gubernas, Imperiale, & in toto Marchionatu Burgoviensi antiquissimum, utpote jam ante octingentos propemodum annos fundatum Collegium, quidni *Canonicum* pariter, id est, ad omnem summæ perfectionis normam conformatum jure meritissimo appellem? in quo tam perfectam semper Regularum Observantiam, tam exactum omnium Religiosarum actionum ordinem, tamque raram & admirandam morum sanctissimorum disciplinam constanter viguisse, floruisseque reperio, ut à summis quibûsque Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ Capitibus non maximi duntaxat æstimatum, sed specialibus etiam favoribus, privilegiisque largissimè fuerit exornatum. Hinc certè effectum, ut & Honorius III. illud Anno 1220. cum omnibus Personis & Bonis ob singularia, ut ipse in Bulla loquitur, merita in specialem suam protectionem receperit: Innocentius IV. & Joannes XXII.

E P I S T O L A.

ad Controversias inter Magnates exortas, sine ceteriore appellatione decidendas non alios magis, quàm hujus Celeberrimi Collegij Prælatos elegerint, & assignârint: Augustissimus Romanorum Imperator Matthias Anno 1613. Jacobum ejusdem Collegij Prælatum ob admirandam in negotijs conficiendis dexteritatem, acie ingenium, summam eloquentiam, profundam doctrinam, ac singularem gloriæ divinæ, regularisque disciplinæ Zelum, per suos Commissarios ad id specialiter deputatos, in Claustro Neoburgensis Canonix Prælatum, & Generalem totius Canonici Ordinis per universam Austriam, & reliquas Majestati suæ subditas Provincias postulârit: & ipsi tandem Reverendissimi & Celsissimi Episcopi, Ordinisque Prælati, sive ad confirmandas tempore emergentis Lutherani dogmatis in Orthodoxa fide vicinas Civitates; sive ad restaurandam Ordinis Canonici in diversis Canonijs disciplinam, quàm plurimos ex hoc Collegio, sapientiâ, prudentiâ, ac sanctitate præclaros Apostolos evocârint.

Præcipuè tamen si propriam Tuam Personam considero, usque adedò omnia *Canonica*, atque ad perfectissimam laudatissimi Præsulis normam composita intueor, ut à veritate profectò minimè aberraturum me credam, si genuinam perfecti Prælati Canonici effigiem Te exprimere, atque adedò in Ideam Universis, qui ejusdem Prælaturæ gubernacula suscepturi sunt, præponi posse affirmem;

DEDICATORIA.

nam si in Seraphinis olim ab Ezechiele conspectis adumbratam nonnulli Præfulis perfecti formam existimant, atque adeò & sex in eo dotes, velut totidem alas, quibus ad præaltam Prælaturæ dignitatem ex merito evehatur, requirunt, has ipsas sanè in Te tam feliciter ac copiosè collectas invenio, ut jure beatos sese existiment, quibus subalis hisce se abscondere, & suavissimæ Tuæ directioni, protectionique se committere concessum est. Quis enim (ut obiter tantùm singulas has alas, id est, præclaras ad gubernandum dotes Tuas perstringam) quis amplissimam in pectore Tuo reconditam *Scientiam* non summè suspexit hæctenus, ac etiamnum admiratur, eam, inquam, *Scientiam*, quâ non modò omnes sublimiores disciplinas ipsemet feliciter es complexus (quod equidem cum pluribus tibi commune est) verùm etiam, quod paucissimorum est, eâ facilitate, claritate, constantiâ, felicitatèque alijs communicâsti, ut post Mathematicas, Philosophicâsque doctrinas per multos annos doctissimè explicatas, ipsum etiam speculativæ Theologiæ cursum quaternis vicibus, & postremum quidem inter ipsas gravissimas Prælaturæ Imperialis curas felicissimè absolveris, &, ne fructu optatissimo caruisse Magistratum Tuum tam præclarum crederes, in ipso Imperiali Tuo Collegio Admodum Reverendum, & Clarissimum P. Augustinum Erath, quem olim velut Discipulum ob ingenij capacitatem, felicitatèmq; singulariter suspexeras, amaverâsque,

E P I S T O L A

nunc Professore aliorum Theologicas æquè ac Philosophicas doctrinas maxima Tua & aliorum satisfactione explicantem, quin & aliorum eruditæ lucubrationes ingeniosissimis suis Commentarijs, Notisquæ doctissimè illustrantem, cum singulari solatio aspicere, atque ex eodem non degeneres Discipulos, velut totidem Nepotes, Pronepotésque Tuos, honorem, famamque Celebrissimi Tui Collegij doctrinâ, scientiâque suâ insigniter promoturos jure merito sperare possis.

Jam verò alteram Prælati Seraphici aliam, *Prudentiam* scilicet Tuam *OEconomiam* si considerem, quis, sive Celeberrimum Tuum Cœnobium inter ruinas Suecicas propemodum collapsum, & à Te in eum, qui hodie cum singulari voluptate aspicitur, nitorem restitutum intueatur: sive admirandam Basilicæ à Te prioribus annis ædificari cœptæ, & cum pulcherrimo quovis Sueviæ Templo de amœnitatis, elegantiaque palma concertantis Majestatem contempletur: sive illustrem Bibliothecam, & Sacram Ecclesiæ Supellectilem Tuâ industriâ multis aureorum millibus locupletatam consideret: sive plures, quàm trecentas Subditorum Tuorum ædes in immensum tum præsentium, tum Posterorum subsidium, æternamque Collegij Tui Imperialis utilitatem ac gloriam à fundamento erectas aspiciat: sive Nobilitatis vetustissimæ primævam arcem ac Toparchiam Knöringensem, aliâque complura Dominij Tui loca à Te cum insigni Reddituum augmento, commodoque

coëm-

DEDICATORIA.

coëmpta audiat, non tot calculis, quot lapides in omnibus his ædificiis collocâsti, clarissimè confirmatam, deprædicatamque affirmabit? ut non immeritò sanè ij, qui admirandos OEconomicae Tuae Prudentiæ effectus & opera accuratiùs coràm inspexerunt, tertium TE Cœnobij Tui Fundatorem appellare, illamque de TE Divi Apostoli sententiam, salvâ S. Doctoris, ipsarumque Sacrarum paginarum reverentiâ, pronunciare non vereantur: Cœnobium Wettenhusanum Illustrissimi Comites de Roggenstain plantârunt: Reverendissimus, & quâ virtute, quâ profapiâ Clarissimus S. R. I. Prælatus, Dominus, Dominus Hieronymus de Rothrigavit: Reverendissimus, & æternâ memoriâ dignissimus S. R. I. Prælatus, D. D. Dionysius incrementum dedit.

Nec minùs tamen admirandam in TE tertiam Seraphici Præpositi alam, singularem scilicet in gubernandis subditis Prudentiam, dexteritatè que reperio: sive enim annos quàm plurimos in Decanatu Celeberrimæ Canonix S. Crucis Augustæ, unde ad hanc dignitatem postulatus & assumptus es, laudabilissimè exactos: sive annos octodecim in moderna Præpositura pari commendatione, satisfactionè que impletos considerem, eâ semper felicitate, dexteritatè que severitate cum mansuetudine miscuisti, ut, quemadmodum S. Gregorius l. 19. mor. loquitur, semper & vigor disciplinæ rexerit mansuetudinem, & mansuetudo ornaverit vigorem, sicque alterum commendatum fuerit ex altero,

E P I S T O L A

tero, ut nec vigor fuerit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, universique TE Subditi & propter paternam gravitatem timuerint salubriter, & propter maternam lenitatem dilexerint suaviter, & propter Divinæ authoritatis in TE elucens reverentiam summè suspexerint, & honorârint.

Porro de quarta Seraphici Præfulis alâ, de ipsa scilicet Præfulibus vel maximè propria perfectione quid dicam? possem equidem, hæc quanta in TE semper refulgere sit credita, tot clarissimis documentis, quot Virtutes passim in TE hætenus prodidisti, luculentè demonstrare. Possem insolitam Tuam in victu quotidiano sumendo parsimoniam, rigidam in effæto corpore ultra omnem propemodum limitem vexando inclementiam, invictam inter morbos, dolorésque propè continuos & intolerabiles patientiam, & suavissimam morum ad omnem modestiam & hilaritatem compositorum amœnitatem, velut totidem irrefragabiles perfectionis Tuæ absolutissimæ Testes producere; verùm hæc omnia lubens prætereo, solóque Sanctissimi Patris ac Fundatoris Tui testimonio contentus, ex ipsa Tua cum Superis assidua conversandi consuetudine, ejusdem perfectionis Tuæ insolitam colligo quantitatem; si enim juxta hujus Sanctissimi Patris sapientissimum, verissimúmque effatum, *rectè novit vivere, qui rectè novit orare*; an non TE rectissimè, perfectissimèque vivere credemus, qui non rectissimè duntaxat, sed etiam tam assiduè orare comper-tus es, ut, quod olim de sapientissimo Suarezio alius
pro-

DEDICATORIA.

pronuntiavit, hoc de TE nunc non immeritò affirmare quis possit, totis videlicet diebus ita TE orare, ac si aliud ageres nihil; adeò verò indefessè & strenuè alia omnia agere, ut nihil orare videaris.

Quid mirum itaque si ex tam assiduo, sanctòque cum Superis commercio cornutus cum Moyse prodeas, & non propriæ duntaxat perfectionis studio illustris, sed ardentissimo etiam alienæ Salutis ac Sanctitatis procurandæ Zelo (quæ quinta Seraphici Præsulis ala numeratur) conspicuus appareas, tantòque semper, ac tam indefesso studio, sive ad Novitios, cum olim Augustæ eorudem Magistrum ageres, solidissimis Religiosæ Asceseos fundamentis imbuendos: sive ad ipsos etiam Professos Tibi, cum Prælati jam munus sustineres, commissos, ad summum perfectionis apicem perducendos incumberes, ut non modò, quæ privatis, publicisque adhortationibus & exemplis, compendiosam, & laudatissimis Majorum vestigijs calcatam ad summas virtutes semitam fidissimus Ductor atque Magister ostenderes; verùm etiam, quod inauditum, & fortè, nî ipsemet dixisses, minùs credibile videri posset, toto, quo Theologiam profitebaris, longissimo tempore, nullam Theologicarum doctrinarum explicationem susciperes, quin simul saluberrimam ad mores reformandos doctrinam velut sedula apis exugeres, & inculcares; usque adeò scilicet sapientissimam illam, omniumque doctorum Hominum memoriæ aureis characteribus insculpendam Sanctissimi Fundatoris Tui sententiam altè animo im-

EPISTOLA.

pressam habebas: *Infelix homo, qui scit illa omnia, te verò nescit: beatus verò, qui Te scit, etiamsi omnia illa nescit: Qui verò te & illa novit, non propter illa, sed propter te solum beatus est,*

Verùm ne in hujus, aliarumque priorum alarum meritissimas laudes ampliùs excurram, sexta, quam Seraphici Præsulis perfectio sibi vendicat, ala, singularis videlicet animi Tui demissio, modestiæque calamum sistit, cui ab ipso jam Religionis Sacræ ingressu, tanto studio Te impendere cœpisti, ut, cùm virtutes aliæ indefesso à Te conatu acquisitæ, hæc congenita videri queat. Atque hæc videlicet effecit, ut, cùm alijs placeas omnibus, Tibi soli displiceas: cùmque alijs maximus appareas, Tibi soli minimus videaris. Hæc tantùm Tibi laudum, præconiorumque Tuorum horrorem ingeneravit, ut ad encomia Tua non minùs, quàm alij ad jacta in se convitia erubeas, & excandesças, malisque dignâ commendatione agere, quàm laudabiliter à Te acta commendari. Hæc profundum adeò de Te ipso sensum instillavit, ut eodem apud Te loco honos & onus habeantur: ut subesse magis appetas, quàm præesse, & velut gemma pretiosissima ad infimum mox locum nativo pondere contenderes, nisi arctiori divinæ voluntatis imperio conclusus, atque in præalto dignitatis oblata culmine suspensus detinereris; ut mirum proinde, videri nemini debeat, si, quamdiu solis instar hæc demissio in amplissimo pectoris Tui fulget hemisperio, tamdiu omnis reliquarum virtutum fulgor dispereat, solæque Siracidis

DEDICATORIA.

dis apud Te præclara adhortatio principatum obtineat: *Quanto magnus es, humilia Te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* Ut adeò & enumeratas hæc, aliasque complures dotes Tuas admiratus Serenissimus ac Reverendissimus Archi-Dux & Episcopus Augustanus fel. rec. cum Te à colloquio suo dimitteret, hoc de Te non verum minùs, honorificum Testimonium, elogiùmque ad circumstantes pronuntiârit: *Hic Prælatus est potens opere & sermone.*

Atque ex his tandem satis, ut opinor, patet, quàm multis, præclarisque titulis hæc de *Canonicis Horis Instructio* Perillustri Nomini Tuo, honorique inscribatur. Accipe ergo qualecunque Observantiæ erga Te meæ, sincerissimique affectûs obsequium, & vel ex tenui hoc argumento collige, quàm ardentè desiderem, etiam illustriori quopiam documento, propensissimæ Tuæ in me indignum, aliòsque Societatis nostræ Religiosos voluntati, benevolentiaque respondere. Admitte libellum hunc meum sub nullo magis, quàm Tuo gratissimo Patrocinio prodire gestientem, pateréque, ut in docendis, explicandisque Romani Breviarij Rubricis, quas ipse Tu non rarò, etiam cum Præsulis manus sustineres, magno discentium commodo, nec minùs præclaro Filialis in S. Romanam Sedem observantiæ documento clarissimè exponere consueveras, Vicariam Tibi jam senio, Viribusque propemodum contractæ operam præstet. Ita & me beabis unicè, & Humanitatis Tuæ tantopere deprædicatæ famam novo, eoque

EPIST. DEDICAT.

eoque Perillustri documento confirmabis. Ego interea, ut in Amplissimum Celeberrimi Cœnobij Tui emolumentum, & singulare Clientum Tuorum omnium Solatium, quàm diutissimè salvus, incolumisq̃ persistas, & conceptam de Sapia, Sanctitatèq̃ Tua præclaram opinionem, maximorum operum continuatione felicissimè adæquare pergas, ex animo voveo, precorq̃. Dilinga Quinto Calendas Septembres, ipso Sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini festivo die. 1676.

Reverendissimæ, Perillustris,
& Amplissimæ Dominationis
Tuæ,

Infirmus in Christo servus

Tobias Lohner.



P R Æ F A T I O .



TS *I*ea, quæ ad Officium divinum ritè recitandum requiruntur, sufficienter in Rubricis Breviarij explicata videantur, quia tamen hæ plerumque ijs, qui nullam adhuc hujus materiæ cognitionem nacti sunt, obscuræ nimis, & difficiles apparent, & præterea non habentur semper Instructores, qui solidâ & Ordinâtâ Methodo Tirones instruere possint, aut velint, operæ pretium futurum visum est, si quidquid in iisdem Rubricis dispersim & obscuriùs proponitur, clariore & ordinâtâ Methodo in hoc Compendio proponeretur. Ex quo quidem Candidati Sacerdotij, in quorum usum & commodum hæc Instructio potissimùm est facta, duas non levis momenti utilitates reportabunt. Prima est, ut facilè cognoscant, quo ordine singulæ Officij divini partes se mutuò subsequantur, nam eodem omnino Ordine, quo hîc tituli positi sunt, illas recitare oportet.

Secunda, ut, si fortè dubium aliquod circa unius, alteriùsve partis recitationem occurrat, ex ijs, quæ cuiusvis titulo subjunguntur, facili negotio id resolvere possint. Unde fiet, ut praxin Officij divini recitandi, quæ non paucis hucusque satis difficilis est visa, brevi tempore & absque magno labore addiscere queant, ut multi, qui hæctenus hac Instruktionem sunt usi, propriâ experienciâ comprobârunt. Dividetur autem hæc

P R Æ F A T I O .

hæc Instructio claritatis gratiâ in quinque partes , in quarum prima Fundamenta ad materiam istam necessaria præmittentur . In secunda praxis Officij divini per accurratam singularum partium explicationem ostendetur . In tertia Cæremonia tam in publica , quàm privata Horarum Canoniarum recitatione observanda referentur . In quarta , quid in specialibus quibusdam Festis observandum sit , succinctè indicabitur . In quinta denique ipsæ Rubricæ Generales Breviarij brevibus notis illustratæ proponentur , ubi etiam Martyrologij Romani nomina suis Accentibus juxta communio-riorem usum signata referentur .

Quia verò post primas tres Instructio-ri-ones partim ipse adverti ; partim ex alijs intellexi , non pauca esse , quæ vel omnino omi-ssa , vel certè paulò obscurius proposita majorem elucidationem requirant , ideo hæc ipsa in hac quarta editione sic emendare conatus sum , ut non modo ipsa materia paulò amplior , sed etiam Ordo ad faciliorem discipulorum usum accommodatior sit futurus , dignusque adeò libellus sit visus , qui à priore libello primam Instructio-ri- nem de SS. Missæ Sacrificio ritè offerendo , continente sejunctus , specialis Instructio-ri- nis , Ordine secundæ , nomine in lucem prodiret . Fruere ergo , amice Lector , labore meo , & , si quem fortè in lubrica materia lapsum sagacitate tua deprehenderis , per benevolam tuam Humanitatem excusa .

* *
*

P A R S

P A R S I.

DE FUNDAMENTIS AD
OFFICII DIVINI RECITA-
TIONEM NECESSARIIS.

TITULUS I.

DE MODO FACILE ADDISCENDI
DICTAM RECITATIONEM.

I. **N**on facile differat futurus Sacerdos laborem hunc addiscendi recitationem Divini Officij usque ad tempus proximum, quo Sacros Ordines suscepturus est, sed aliquot mensibus prius se ab aliquo perito instrui curet, ut inter hoc tempus se aliquoties sine periculo peccati & culpabilis erroris exercere, habitumque & dexteritatem in eo recitando comparare possit.

II. Dum actu se ad discendum applicat, ante omnia integrum Breviarium obiter percurrat, & quæ Officia, Lectiones, aut Psalmi quovis loco notentur, accuratè dispiciat, ut, ubi opus fuerit, omnia facili labore invenire queat. Reperiet autem in octo potissimum partes totum Breviarium dividi posse, quarum 1. Calendarium. 2. Rubricas. 3. Tabulas Occurrentiæ & Concurrentiæ. 4. Psalterium. 5. Proprium de Tempore. 6. Proprium Sanctorum. 7. Commune Sanctorum. 8. Officium B. Virginis, Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, Ordinem commendationis Animæ, Benedictionem mensæ, Itinerarium, & similia, quæ vel interdum Officio Divino publicè conjunguntur, vel certè aliàs ad manum Sacerdotibus esse debent, continet.

III. Ubi hanc Breviarij notitiam acquisierit, differentias Festorum & Feriarum bene cognoscere studeat, quem in finem ea, quæ sequenti Titulo dicentur, ei servire poterunt.

IV. Post hæc usum binarum tabularum de Occurrentia & Concurrentia Festorum addiscat; cum enim Festa Patronorum, Dedicacionis, aliâque in Directorijs non expres-

Instruēt. II.

A

sa,

ARS

fa, in propria sua Parochia celebrare Sacerdos debeat, in his autem casibus dictæ tabulæ clarè ostendant, quomodo Officium ordinare oporteat, meritò earū praxis & cognitio valde necessaria ducitur illi, qui erroris periculo expositus esse nolit. Porro hunc usum ex accurata Lectione instructionis tabulis illis præfixæ, aut levi manuductione Instructoris faciliè addiscet.

V. His peractis incipiat ab Officio faciliori, in quo pauca vel nullæ commemorationes faciendæ sunt, quale v.g. est Duplex, & in hoc essentialia Officij Divini addiscere studeat, id quod non difficulter ex titulis totius hujus Instructionis perlectis consequetur, nam eodem profus ordine, quo Officium Divinum recitari debet, sunt positi, & simul, quando & quomodo quævis pars dici debeat, succinctè est indicatum.

VI. A Duplici ad Semiduplicia & Simplicia progrediatur, videatque, quid in his minùs aut plùs dici debeat. Quod ut faciliùs consequatur, firmiùsque memoriæ imprimat, non parùm proderit, si singulis diebus videat, quale Officium sit dicendum, & si recitare integrum non vacet, saltem apud se examinet, quomodo illud ordinare vellet, dicendo v. g. jam recitarem Pater & Ave, hos Hymnos, Antiphonas, Psalmos, &c. Pari modo seipsum quandoque interroget, quomodo, si hodie Officium Simplex de Martyre v.g. dicendum foret, illud ordinare vellet; aut quomodo illud disponere, si de Duplici Virginis, Feria, aut de B. Virgine in Sabbato Officium recitare deberet, quo quidem in examine expediret Instructorem habere, cui coràm horum omnium dispositio indicaretur, ut, si qui intervenirent errores, corrigere possit.

VII. Tandem ubi hæc omnia didicerit, ut magis de scientiæ suæ sufficientia & soliditate certus reddatur, poterit ipsas Rubricas perlegere, & in illis tanquam in amussi perspicere, num exactè singulas leges in iisdem præscriptas observet.

* *
* *

TITU

TITULUS II.

DE DIFFERENTIA OFFICIORUM.

Tria sunt genera Officiorum

Nimirum

Duplicia, Semiduplicia, & Simplicia.

§. I.

De Duplicibus.

L Duplicia Festa vel Officia dicuntur illa, in quibus Antiphonæ in Matutino, Laudibus, & Vesperis ante & post Psalmos integræ dicuntur. Horum quatuor sunt Classis.

II. Duplicia *primæ Classis* sunt, in quibus nulla fit Commemoratio, nisi de omni in primis die Octava; deinde de diebus etiam infra Octavam privilegiatis (puta Epiphaniæ, Paschæ, Corporis Christi) Vigiliâ Epiphaniæ, Dominicâ, & Feriâ majore occurrentibus, & respectivè concurrentibus; item de Duplicibus secundæ Classis concurrentibus in primis ac secundis Vesperis; de Duplicibus verò alijs, & Semiduplicibus in secundis tantum. Quòd tamen non ita intelligendum est, quasi omnia Duplicia hujus Classis ejusmodi commemorationes admittant, sed quòd aliqua saltem, imò pleraque illorum eas non excludant; nam alioqui Festa Paschatis & Pentecostes cum duabus Ferijs sequentibus; item tres Feriæ postremæ Sacræ hebdomadæ, quæ etiam sub ritu Duplici celebrantur, & quia nulli Festo cedunt, his Duplicibus meritò annumerantur, nullas omnino commemorationes admittunt.

III. Duplicia *secundæ Classis* sunt, in quibus nulla fit Commemoratio, nisi de die Octavâ, & diebus infra Octavam privilegiatis, puta Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi, Dominicâ per annum, Feriâ majori, Vigilia, & Simplicis Festo occurrente (sed de his duobus in Laudibus tantum) & de Duplici quocunque, ac Dominica Primæ ac Secundæ Classis in primis Vesperis, de Die infra Octavam verò & Festo

quocunque minùs digno in secundis Vesperis concurrentibus. Ad hæc Festa præter ea, quæ in Breviario notantur etiam Festa S. Stephani, & SS. Innocentium à Gavanto revocantur, quod tamen de Festo S. Stephani aliqui in dubium vocant, ut p. 4. tit. 2. n. 7. dicitur.

IV. Duplicia *Maiora* per annum sunt, quæ alijs Minoribus in occurſu præferuntur, & admittunt omnis generis Commemorationes, qualia præter ea, quæ in Breviario in Tabula Occurrentiæ assignantur, insuper sunt dies Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, & Festum Patroni minùs Principalis, teste Gavanto. f. 3. n. 6. alia tamen Octavæ, etsi in occurſu alijs Duplicibus etiam majoribus per annum præferantur, quia tamen ijsdem Majoribus Duplicibus in concursu cedunt, cum Minoribus verò Vesperas dividunt, ideo plerumque inter Majora Duplicia numerari non solent.

V. Duplicia *Minora* per annum sunt, quibus in Calendario vox *Duplex* additur, nec tamen in prioribus tribus Duplicium classibus comprehunduntur. Item Festum Sancti, cujus principalis aliqua Reliquia habetur: Translatio Patroni principalis: & dies Octava Festorum, quæ est distincta ab Octavis priori numero inter Duplicia majora numeratis.

VI. Omnia hæc Duplicia tria habent privilegia, per quæ ab alijs Festis distinguuntur. 1. Quòd Antiphonæ modo supradicto duplicentur. 2. Quòd suffragia communia non admittantur. 3. Quòd nullæ preces dicantur.

VII. Vocantur etiam hæc Duplicia uti & Semiduplicia frequenter in Rubricis Festa novem Lectionum, quia ordinariè habent tres Nocturnos, & novem Lectiones. Dixi *ordinariè*: nam Festa Octavarum Paschatis & Pentecostes unum duntaxat Nocturnum cum tribus Lectionibus habent. Pari modo tam Duplicia, quàm Semiduplicia binas exigunt Vesperas, primas & secundas, excepto triduo Feriarum ultimarum Sacræ hebdomadæ, quarum officium, licet duplici ritu celebretur, tamen post Nonam terminatur. Item exceptâ Vigiliâ Nativitatis, quæ licet à Laudibus ritum Duplicis habeat, non tamen habet primas, neque secundas Vesperas.

§. II.

De Semiduplicibus.

I. Quatuor sunt species Semiduplicium. Ad primam pertinent *Dominicæ*, quæ in tres species subdividuntur, scilicet in *Dominicæ primæ Classis*, quæ nulli Festo cedunt: *Dominicæ secundæ Classis*, quæ soli Festo Patroni vel Titularis, vel Dedicationis cedunt: & *Dominicæ communes*, seu *per annum*, ut vocant. Hæ omnes, inquam, *Dominicæ* (exceptâ *Dominicâ Resurrectionis*, *Pentecostes*, *SS. Trinitatis*, in *Albis*, & *ijs*, quæ transferuntur) sub ritu Semiduplici celebrantur; ita tamen ut in occurſu semper alijs Semiduplicibus præferantur. Ad secundam pertinent Festa *Semiduplicia*, qualia sunt, quibus in Calendario, vel in Proprio Sanctorum vox *Semiduplex* additur; & interdum in aliquibus locis ex concessione summi Pontificis Festa illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ non insignes habentur. Ad tertiam spectant omnes *Dies infra Octavam*, quæ proinde in occurſu tam *Dominicis*, quam *Semiduplicibus* cedunt, nisi ad aliquam ex *Octavis privilegiatis*, de quibus Titulo sequenti dicitur, pertineant. Ad quartam pertinent *Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes cum præcedente sexta Feria*, quæ sub ritu Semiduplici celebrantur, nec tamen ad ullam præcedentium classium commodè revocari queunt.

II. Distinguuntur hæc *Semiduplicia* à *Duplicibus* per privilegiorum priori §. n. 6. enumeratorum carentiam, primi saltem, nam posteriora duo etiam Diebus *infra Octavam* conveniunt. A *Simplicibus* verò distinguuntur, quòd novem *Lectiones*, tres *Nocturnos*, & *primas ac secundas Vesperas* de jure exigant.

§. III.

De Simplicibus.

I. *Simplicium* (sic dictorum, quia simplici seu minùs solemniori ritu celebrantur) sex sunt species. Ad primam pertinent *Feria Miores*, sic dictæ, quia de illis fit commemoratio quocunque Festo occurrente, quales sunt *Feria Adventus & Quadragesimæ* (de quibus commemoratio etiam in utrisque *Vesperis* fieri debet) & *Feria II. Rogationum, ac Quatuor Temporum*, de quibus in *solis Laudibus* commemo-

moratio facienda est. Excipiuntur tamen Feriæ tres ultimæ in Sacra hebdomada, quæ, licet sint Feriæ, non tamen ritu simplici, sed duplici celebrantur, ut supra dictum est.

Ad secundam pertinent *Vigilia Sanctorum*, quæ sub ritu simplici celebrantur, & omnibus posterioribus Simplicibus in occurso præferuntur. Ad tertiam spectat *Dies B. MARIÆ in Sabbatho*, qui sub ritu Simplicis Festi celebrandus est. Ad quartam pertinent *Festa Sanctorum Simplicia*, qualia sunt, quæ in Proprio Sanctorum nomen *Duplex* aut *Semiduplex* appositum non habent, nec à Diœcesi sub majori ritu celebrantur, aut alio titulo gaudent, ob quem inter *Duplicia* vel *Semiduplicia* numerentur. Ad quintam spectant *Feria Minores*, quales sunt omnes illi dies, in quos nullum ex supradictis Festis cadit. Ad Sextam denique spectant *Dominica*, quæ, quia suo loco celebrari non possunt, per anticipationem transferuntur in præcedentem hebdomadam, & sub ritu simplici celebrantur.

II. Distinguuntur Simplicia à Semiduplicibus & Duplicibus duplici ex capite. 1. Quòd unum tantum semper Nocturnum, & tres duntaxat Lectiones (quam ob causam Festa trium Lectionum vocantur) habeant. 2. Quòd nunquam binas, ut illæ, *Vesperas integras* habeant; sed vel medias tantum primas à Capitulo, uti Festa Simplicia, & B. MARIA in Sabbatho; vel *medias* duntaxat usque ad Capitulum, uti fit, si duo se simplicia Festa per duos dies continuos sequantur, tum enim, cum prioris Festi Simplicis Officium post Nonam terminetur, & posterioris *Vesperæ* à Capitulo primùm incipiant, Psalmi de Feria occurrente sumendi sunt. Vel *integras primas*, uti contingit, si minor Feria post Festum Simplex sequatur; tunc enim, cum, ut Rubrica de Ferijs n. 2. ait, ibi incipiat Feriæ sequentis Officium, ubi præcedens Festum desijt, meritò *Vesperæ integræ* ad sequentem Feriam pertinere, atque adeò primæ esse dicuntur. Vel *integras secundas*, uti fit, si Vigiliam, aut Feriam Majorem alia Feria antecedit, tunc enim, cum sequentis Vigiliæ aut Feriæ Majoris Officium juxta Rubricam de Feria, n. 2. à Matutino incipiat, necessariò *Vesperæ præcedentis* diei ad præcedentem Feriam pertinere, atque adeò secundæ dici debent. Vel omnino *nullas*, uti Vigiliæ vel Feriæ Majores Festum aliquod

aliquod novem Lectionum antecedentes; tunc enim, cum, ut dictum, earum Officium à Matutino primùm incipiat, Vesperas primas habere non possunt: Sed neque secundas ob Festum sequens, quod totas illas Vesperas sibi vendicat. Vel *duas duntaxat dimidias*; uti fieret, si tria Simplicia v. g. in Feriam secundam & tertiam & quartam ejusdem hebdomadæ caderent; tunc enim Feriæ tertiæ Officium incipit à Vesperis præcedentis diei (cum ibi terminetur Officium Simplicis Festi illo die cadentis) atque adeò illas dimidias tantùm propter Festum simplex subsequens, quod à Capitulo earundem Vesperarum incipit, sibi vendicat; quia verò sequenti die Festum simplex iterum ad Nonam terminatur, FERIA illa iterum medias Vesperas secundas ob aliud simplex Festum à Capitulo incipiens exigeret. Vel *integras secundas, & primas dimidias* duntaxat; uti fieret, si duo Festa simplicia in Feriam secundam & tertiam ante diem Cinerum caderent; tunc enim FERIA tertia ob rationem paulò ante allatam primas dimidias Vesperas exigeret, & secundas integras sibi vendicaret, quia Feriæ quartæ Cinerum Officium juxta Rubricas de FERIA n. 2. à Matutino primùm inciperet.

TITULUS III. DE OCTAVIS.

I. **O**ctava, quam Duplicia primæ Classis omnia, & aliqua etiam secundæ Classis habent, ab octo diebus dicta est, quibus vel Christi, vel Sanctorum Festa celebrantur, ut solemniora fiant. Omnes autem dies Octavæ pro una computantur, quia est prorogatio Festi, unde tantò nobilior est Octava, quantò minùs ab alijs Festis interrupta est.

II. Hinc Differentia Octavarum ad quatuor Classes revocari potest. Ad primam spectant Octavæ Paschæ & Pentecostes, in quibus non fit de ullo Festo. Ad secundam Octava Epiphaniæ, quæ tantùm Patroni, vel Titularis, vel Dedicationis Festum admittit, imò in ipsa Die Octava, in qua celebratur Baptismus Christi, etiam hæc excludit. Ad tertiam pertinet Octava Corporis Christi, quæ Duplicia tantùm *Occurrentia*, non verò *Translata* admittit, nisi sint altioris Ordinis, quod in postrema Breviarij Recognitione decretum est. Ad quartam pertinent reliquæ Octavæ, quæ Festa quæcunque,

etiam Translata admittunt, sed ita ut Semiduplicia in ijs occurrētia non patiantur ultra unum diem transferri, uti de Semiduplici in Dominica infra Octavam occurrente expressè indicat Rubrica n. 5. de Translatione Festorum. An verò idem etiam de Festis Semiduplicibus alijs diebus infra Octavam occurrentibus sit dicendum, dubitant nonnulli; sed Rubrica satis clarè hoc dubium resolvere videtur, dum l. c. ait, *ita ut Festum Semiduplex infra Octavam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem*; Et confirmatur idipsum ex alia Rubrica tit. 7. n. 3. posita, ubi dicitur, infra Octavas fieri Officium de Festis Duplicibus & Semiduplicibus occurrentibus *etiam translatis* cum commemoratione Octavæ, quòd tam universaliter dici non deberet, si tantum Semiduplex in Dominica occurrens transferendum foret in proximum diem. Cur autem ad unum tantum diem transferatur Semiduplex infra Octavam occurrens, rationem ait Gavantus s. 3. c. 10. n. 4. hanc esse, quòd alioqui Octavæ numero dierum nimis minuerentur.

III. Major dignitas Octavarum attenditur circa Classē Festorum; in eadem autem Classe attendi debent Personæ hoc ordine: Christus, B. Virgo, Angeli, S. Joan. Baptista, Apostoli, Sancti Veteris Testamenti, (quos Gavantus c. 18. n. 7. Apostolis subjungendos putat, licet in Litanij Ordine temporis præcedant) & alij deinde juxta Litaniarum Ordinem. Cæteris paribus dignior est Octava, quam celebrat universalis Ecclesia, quàm ea, quæ à particulari celebratur. Dedicationis quoque Octava dignior est Patroni Octavâ, & hæc dignior, quàm Titularis (nisi sit valde magna inter hos dignitatis distantia, ut notat Gavantus loc. cit.) Octava tamen Assumptionis B. Virginis omnibus his dignior est.

IV. Habent dies Octavæ triplex Privilegium. 1. Ut ritu duplici celebrentur. 2. Ut nulli alteri Duplici, nisi primæ & secundæ Classis (imò ut supra vidimus, aliquæ neque his) in occurſu cedant. Si tamen cum Dominicæ Privilegiata occurrant, non nisi Commemoratio de illis fieri debet. 3. Ut nunquam transferantur; licet accidere possit, ut non omnino compleantur, ut si dies 17. Decembris, aut Feria IV. Cinerum, aut Vigilia Pentecostes in Octavam cadat

tunc enim ab his diebus nihil amplius de Octava dicitur, atque adeò in pridianis Vesperis etiam nullam amplius de ea commemorationem fieri debere putat Gavantus *Seft. 3. c. 8. n. 9.* cum sequenti die nihil de ea fit faciendum; sed hoc merito in dubium revocari posset, eò quòd dies illa infra Octavam, quæ verbi gratiâ in 16. Decembris cadit, tanquam Semiduplex verè requirat secundas Vesperas, aut commemorationem, nisi Festum solemne subsequatur, atque adeò saltem hoc titulo de illo aliquid fieri debeat.

V. Si Dies Octava in Dominicam privilegiatam cadat, Vesperas primas recitari debere cum Psalmis Sabbati, & à Capitulo de Dominica, ait Gavantus *l. c. n. 13.* & ita se petente S. Rituum Congregationem die 9. Novembris 1622. decidisse: additque Commemorationem Diei Octavæ in primis Vesperis (ut in Laudibus & secundis Vesperis) fieri debere post Commemorationem Dominicæ privilegiatæ, etiam si Dominica cum sequenti Festo Duplici concurrat. *Ibid. n. 14.*

VI. Dies Octavæ omnes (exceptis Octavis Christi Domini) sunt ejusdem Solemnitatis, unde si una concurrat cum altera, dividet Vesperas cum illa, quod idem etiam cum Duplicibus, uti & Dies infra Octavam cum Semiduplicibus concurrentibus faciunt.

VII. Si Festum Semiduplex concurrat cum Dominica privilegiata simul & Octava, Vesperæ usque ad Capitulum de Semiduplici dicentur, de quo etiam fieri commemorationem debere, antequam fiat Octavæ commemoratio, putat Gavantus *l. c. n. 22.* eò quòd Semiduplex habeat dimidium Vesperarum.

TITULUS IV.

DE OCCURRENTIA ET CONCURRENTIA FESTORUM.

I. **O**ccurrere duo Festa dicuntur, quando eodem die per se Officium de se dici cupiunt: Concurrere verò, quando duo Festa novem Lectionum, quorum alterum hodie, alterum cras celebrabitur, hodiernas Vesperas exigunt. Unde patet, quòd nullum Festum Simplex aut Feria cum alio sequen-

sequenti concurrere possit, eò quòd non habeat secundas Vesperas.

II. Porro etsi satis fusa & perplexa sit hæc materia, si eam, prout in Rubricis proponitur, considerare velimus, potest tamen non modicum Tironibus ad eam faciliùs addiscendam subsidium afferri, si Tabulas Occurrentiæ & Concurrentiæ bene intelligere studeant, vix enim ullus occurret casus, quem non ex illis decidere poterunt, maximè si sequentes regulas ad eundem finem bene observent.

III. Prima Regula: *Quandocunque in Proprio de Tempore aut Sanctorum reperitur particularis aliqua dispositio, cessant Regula generales in Rubricis proposita.* Hinc quia in Proprio de Tempore præcipitur, ut in Festo S. Joannis Apostoli fiat commemoratio de S. Stephano, hoc ipso cessat universalis Regula in Tabula Occurrentiæ assignata, quâ dicitur, Duplici secundæ Classis, & Die infra Octavam occurrentibus nihil de sequenti fieri debere.

IV. Secunda Regula: *Quandocunque dies aliquis non privilegiatus cum privilegiato occurrit, cessat dispositio generalium Rubricarum de Occurrentia & Concurrentia.* Hinc quia Dies infra Octavam Paschatis & Pentecostes, Feria IV. Cinerum, & Hebdomadæ Majoris, Vigiliæ Nativitatis & Pentecostes omne Festum excludunt, uti S. Rituum Congregatio 28. Aug. 1627. decrevit, frustra in eorum Occurrentia vel Concurrentia ad generales Regulas & Tabulas recurritur.

V. Tertia Regula: *Quandocunque duo Festa quoad dignitatem inæqualia occurrunt, vel concurrunt, minus dignum cedere digniori debet iuxta exigentiam illius,* ita, ut si transferri possit, omnino transferatur; si verò loco affixum sit, vel commemorationem tantum habeat, vel si dignitas Festi id postulet, omnino eo anno omittatur. Quod autem Festum sit dignius altero, partim *ex generali ratione*, id est, Duplicis vel Semiduplicis; partim *ex speciali*, quòd nempe sit Festum Christi, B. Virginis, Angelorum &c. colligi potest, uti in toto Titulo 2. & 3. num. 3. videre est. Circa quem tamen posteriorem Ordinem notandum est, quòd, etsi ex duobus Confessoribus non Pontificibus unus esset Abbas, alter Laicus: aut ex non Virginibus altera Vidua, altera non Vidua, neutrius

neutrius hujus qualitatis consideratio in Ordine ad majorem dignitatem conciliandam habenda sit. Magis verò ad hunc finem servit, si cæteris paribus, unus Confessor v. g. ab aliqua particulari Ecclesia solemniter celebraretur, tunc enim meritò præferretur alteri Confessori in Calendario notato. Idem dicendum foret, si in pari gradu solemnitatis alter esset Patronus universalis, alter particularis Ecclesiæ. Hinc si occurreret Festum Patroni alicujus Templi cum Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, hoc utpote ad universalem Ecclesiam pertinens præferri deberet alteri, ut rectè notat Arnaudus Tit. II.

VI. Quarta Regula: *Quandocunque duo Festa equalia concurrunt, dividere debent inter se Vesperas*, ita ut de priori Psalmi, de posteriori Capitulum cum commemoratione præcedentis dicatur. Dixi autem *Concurrunt*: nam occurrere duo omnino æqualia de facto non solent, eò quòd ad Pontificem pertineat, talium Festorum, quæ occurrere alioqui possent, alterutrum ad alium diem in perpetuum transferre.

VII. His suppositis non erit difficile, praxin Tabularum Occurrentiæ & Concurrentiæ addiscere, maximè si sequentia bene observentur. 1. Quòd Superior ordo Festorum aut Feriarum ex parte sinistra rectâ lineâ positus, & alter ex parte dextra obliquâ lineâ positus significet Festa aut Ferias, quæ occurrere aut concurrere possunt. 2. Quòd in Tabula occurrentiarum perinde sit, sive Festum aliquod aut FERIA in Superiore lineâ rectâ, sive in inferiore obliquâ quæ- ratur, ut mox in exemplo practicè ostendetur; in Tabula concurrentiarum verò semper Festum aut FERIA præcedens in Superiore rectâ, subsequens verò in inferiore obliqua quærendum sit. 3. Quòd numerus ille ex parte dextrâ signatus, in quo conveniunt, significet eundem numerum in partis dextræ lineâ inferiore per numeros distinctâ quærendum esse, is enim significabit, de quo Officium dicendum, vel commemoratio facienda, vel Translatio suscipienda sit.

4. Quòd in eadem linea per numeros distinctâ, si v. g. dicitur: *Officium de Primo, commemoratio de Secundo*, per *primum* intelligatur Festum in linea rectâ notatum, per *secundum* verò Festum in linea obliqua indicatum. 5. Quòd si interdum in concursu loco numeri litera O inveniatur, ea si-

gnificet, nunquam inter duo talia Festa aut Ferias occursum aut concursum fieri posse, cum uno posito, hoc ipso alterum non habeat jus ullum exigendi, ut eo die de se Officium vel commemoratio fiat.

VIII. Ut autem hæc tota doctrina & praxis utriusque tabellæ in pratico exemplo ostendatur, primum pro Tabula Occurrentiæ exemplum hoc esto. Supponatur v. g. in primam Dominicam Adventûs Dedicatorem propriæ Ecclesiæ cadere. Hoc supposito, quæratür prius in Tabulis præcedentibus Festorum dignitatem significantibus, quale Festum sit Dedicatio, & qualis Dominica sit Dominica prima Adventûs, & invenietur utrumque esse primæ Classis. Quæratür ergo in superiori linea, in qua cellula reperiatur Duplex primæ Classis, & in prima invenietur. Tum simili modo in linea obliqua Dominica primæ Classis quæratür, & pariter in prima reperiatur: ascendatur ergo ab hac prima cellula obliqua per lineam rectam usque ad numerum cellulæ primæ rectæ respondentem, & numerus unitatis deprehendetur, qui quæsitus in linea recta partis dextræ per numeros distincta significabit, Translationem de primo, id est, Duplici; Officium verò de secundo, id est, Dominica dicendum esse. Alterum exemplum pro Concurrentia hoc esto. Supponatur hodie esse celebratum Festum Semiduplex, & sequenti die Duplex minus per annum celebrandum. Hoc supposito quæratür in superiore linea, in qua cellula Semiduplex notetur, & in octava invenietur; pariter ergo in linea obliqua Duplex minus per annum inquiratur, & in sexta cellula reperiatur; ab hac ergo cellula per lineam rectam ascensus fiat ad numerum tertiæ cellulæ Superiori (in qua Semiduplex notatur) respondentem, & numerus tertius invenietur, qui in linea per numeros distincta quæsitus indicabit, Officium de secundo, id est, Duplici, commemorationem de primo, id est, Semiduplici faciendam esse.

IX. Ne verò quisquam in uno vel altero casu per similem inquisitionem deceptus, putet falsas esse prædictas regulas, diligenter legere & observare debet exceptiones, quæ eisdem Tabulis subjunguntur; illæ enim indicare volunt, in casu, quem ipsæ exprimunt, Tabellas illas usui non esse, sed id, quod in his paragraphis notatur, observandum esse.

esse. Verbi gratia: Supponatur Semiduplex in Feriam quartam Cinerum, quæ est FERIA MAJOR, cadere. Hoc supposito, si in Tabella Occurrentiæ dicto modo numerus, in quo Semiduplex & FERIA MAJOR occurrunt, indagetur, inventus quartus significabit Officium de Semiduplici, commemorationem de FERIA faciendam esse, quod tamen falsum est, quia inter exceptiones mox subjunctas §. 1. indicatur, quodcunque Festum in die Cinerum occurrens transferendum esse.

TITULUS V.

DE TRANSLATIONE
FESTORUM.

I. **H**Æc materia, si ulla alia in Breviario, dignissima est, ut à Novis Sacerdotibus bene addiscatur. Etsi enim plerumque Directoria Diocesana ad manum habeant, quia tamen in his propria cujusque Ecclesiæ festa non notantur, facile sanè contingere potest, ut, si DEDICATIONIS, PATRONI vel TITULARIS Festa in Hebdomadam, in qua multa Festa alia occurrunt, incidant, ejusmodi Directorium propter varias Translationes faciendas per aliquot hebdomadas servire non possit; unde si Sacerdos regulas in Translatione observandas non calleat, plurimos sanè errores committat, necesse est: quas tamen si bene didicerit, etiam sine Directorio facile sciet, quo modo per totum annum Officia sint disponenda. Quatuor autem universim de hac materia Translationum scienda sunt. 1. Quæ Festa transferri possint, aut debeant. 2. In quos dies transferri debeant. 3. Quo tempore. 4. Quo ritu celebrari debeant Festa translata, de quibus omnibus seorsim breviter agendum est. Itaque

II. Q. 1. *Qua Festa transferri possint, aut debeant?*

R. Sola Festa Duplicita & Semiduplicia, & interdum etiam Dominica (si scilicet ea juxta Rubricas præcedenti hebdomade sit celebranda, uti quandoque contingit) ac Vigilia si in Dominicam incidat, tum enim in Sabbatum præcedens transfertur. Dies autem Octava, FERIA, & simplex Festum nunquam transferuntur, sed vel de ijs commemoratio facienda est, vel omnino omittuntur.

III. Q. 2. *In quem diem Translatio facienda sit?* R. Uni-

versim

versim loquendo *in proximam diem non impeditam* faciendam esse. Dies autem impedita in primis censi debet omnis dies privilegiata, id est, jus habens ad aliud Festum licet dignius excludendum, quæ in notandis Tabulæ Occurrentiæ subjunctis enumeratæ videri possunt. Deinde inter dies quoque impeditas numerari debent omnia Festa Duplicia & Semiduplicia cum Dominicis suo tempore celebratis (si enim anticipentur, ritu simplici celebrantur, atque adeò cedunt translatis) Dixi autem *Festa*: quia Dies infra Octavam propriè non sunt Festa, prout hîc sumimus, sed continuatio Festi, nec sunt dies impeditæ, nisi respectu Semiduplicis ad plures, quàm unum diem translatis, si enim infra Octavam occurrat, & eâ die impeditum sit, sequenti die celebrari debebit, si aliud Festum novem Lectionum in eundem non incidat.

IV. Q. 3. *Quo Ordine & Tempore Festa translata celebrari debeant?* R. Duas in hoc Ordine regulas observandas esse. Prima est: *Inter Festa translata diverse Classis semper dignius in ritu prius celebrandum est*: unde licet Duplex post aliquod Semiduplex translatum sit, prius tamen de illo, quàm de hoc Officium dicendum est. Secunda regula: *Inter Festa translata eiusdem Classis id prius celebrandum est, quod tempore prius translatum est*. Eiusdem Classis autem hoc loco censentur, quæ intra eandem speciem Semiduplicium, vel Duplicium majorum, minorum &c. continentur, licet alioqui in ordine ad commemorationes faciendas se mutuò dignitate superent, nam hæc majoritas dignitatis hoc loco non attenditur.

V. Q. 4. *Quo ritu Festa translata celebrari debeant?* R. Solitaria Festa eodem ritu celebranda esse, quo celebrata fuissent, si non essent translata. Si autem occurrant duo Festa eâdem die sub una ratione Festi in Calendario Romano, quorum alterum sit Patroni vel Tituli Ecclesiæ: v. g. S. Sebastiani, quod ordinariè cum S. Fabiano conjunctum celebratur, eo casu de Patrono Titulari tantùm dicendum est Officium, uti de Festo primæ Classis; Festum alterum verò transferendum est in aliam diem non impeditam, & sub ritu Semiduplici celebrandum, si quidem Festum hoc modo divisum, sub ritu Duplici vel Semiduplici alioqui ex præscripto celebrandum non erat primæ, vel secundæ Classis; i

hoc

hoc enim casu, socius, qui transfertur, retinet suum ritum: atque adeò Festum S. Jacobi translatum, quia S. Philippus alicubi Patronus est Templi, adhuc sub ritu Duplicis secundæ Classis celebrandum est, uti Gavantus *sect. 3. c. 10. n. 12. c. 13.* & Rubrica in tabula Occurrentiarum circa finem tradit. Curandum tamen, ut factâ hac separatione, Oratio, Lektionen & Evangelium cum Homilia congruant Festo, ita ut pro uno, non pro pluribus fiat Officium, & deficientibus proprijs ad communẽ Sanctorum recurratur, reservatâ Patrono potiùs, quàm Socijs oratione propria, & in numero singulari accommodatâ: pro Socijs autem sumatur de Communi, nisi contingat de Socijs fieri extra Octavam Patroni vel Tituli, quo casu nulla est variandi necessitas.

VI. Si occurrat eadem die Patronus Principalis loci, & Titularis Ecclesiæ Regularium in propria horum Ecclesia, Officium dicendum est de Patrono Loci, translato Titularis. Quod si hoc accidat singulis annis, assignanda erit dies sequens in perpetuum Titulari illius Ecclesiæ, nisi ex privilegio aliter fieri debeat. A fortiori cedit Patrono Loci aliud quodcunque Festum Regularium inferioris Classis.

VII. Atque hæc, quæ hæctenus dicta sunt, pleraque tum in ipsis Rubricis, tum in tabulis Occurrentiæ & Concurrentiæ indicantur. Verùm quia de Festis ad libitum nullam Rubricæ mentionem faciunt; hinc meritò aliquot de ijs dubia, quæ aliunde decidi debent, sunt exorta; quæ proinde breviter hoc loco velut proprio proponenda, & solvenda sunt.

VIII. Primò ergo dubitari potest, *an Festa ad libitum transferri perinde, ut Festa de precepto possint?* ad quod dubium P. Gobat app. 6. n. 39. absolutè affirmativè respondet ob decretum Congregationis Rituum 9. Jun. 1668. editum; verùm eadem Congregatio die 2. Decembris 1673. ex Mandato S. D. N. Clementis VIII. limitavit illud decretum, aliudque, quod in calce recentium Breviariorum refertur, edidit, quo decrevit, ut deinceps ejusmodi Festa ad libitum, si in diem Dominicam, vel Festum mobile, id est, nulli certo diei mensis affixum incidant, nequiquam transferri queant, sed eo anno omnino omittantur, quemadmodum hoc anno 1676. S. Canuto Regi in Dominicam incidenti evenit. Si verò

verò in alios dies cadant, perinde ut Festa de præcepto transferantur.

IX. Secundò dubitari potest, *an Officia concessa ad libitum aliis Officiis de præcepto cedant?* ad quod dubium affirmativè respondent Gavantus f. 3. c. 10. n. 16. & Arnaudus tit. 10. & colligitur ex Decreto S. Congregationis supra ex P. Gobat citato, quod decernit, ut si Festum de præcepto, & Festum ad libitum simul transferantur, priùs de illo, quàm de hoc officium postea dicatur.

X. Tertiò dubitari potest, *an Festa ad libitum etiam inter dies impeditos censeri debeant?* v. g. an si Feriâ secundâ cadat Festum ad libitum, Dominicâ verò præcedente privilegiata duplex aliquod transferendum occurrerit, in tali caso Festum ad libitum cedere, atque adeò in alium diem transferri debeat? R. cum P. Gobat append. 6. n. 38. Festa ejusmodi ad libitum meritò etiam inter dies impeditos censeri, eò quòd ex una parte gratiæ ampliandæ sint; ex altera verò parte jus celebrandi tale Festum ad libitum verè etiam gratiæ sit, adeoque à quovis acceptari & usurpari queat. Atque in plurimas Diœceses in praxi observasse idem Author testatur.

TITULUS VI.

DE PATRONI ET TITULARIS SANCTI FESTO.

I. **P**atronus est, quem Episcopus cum Populo sibi Patronum elegit, vel quia primus ejus loci Episcopus, vel quia ibi humatus; vel quia civis ejusdem loci; vel quia aliter quando populum in necessitatibus mirabiliter juvit, vel in alias similes causas. Titularis autem Ecclesiæ dicitur, si cujus invocatione dedicata est Ecclesia.

II. Ut legitima sit Patroni electio, sequentes tres conditiones sunt necessariæ. 1. Ut eligendus in Patronum non tantùm sit Beatificatus, sed Sanctus ab universa Ecclesia cognoscitus. 2. Ut electio fiat per Secreta suffragia à Populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel loci; & consensus Episcopi & Cleri etiam jungatur. 3. Ut causa electionis à S. Congregatione examinata & approbata sit. Ita Decretum Urbani VIII, 23. Mart. 1630.

III. De

III. Dantur etiam plures Patroni Loci, sed unus eorum debet esse Principalis. Titulus autem Ecclesie unius materialis solet esse unicus, licet possit esse plurium Sanctorum sub pluribus Festis, vel plurium sub eodem.

IV. Si Patroni vel Titulares plures dentur, Officium quidem singulorum Duplex erit, sed Octava non conceditur, nisi Festo Principalis Patroni & Titularis, utpote quod solum celebratur sub ritu Duplicis primæ Classis. Unde etiam de hoc solo tenentur Regulares Officium dicere, licet laudabile sit, si etiam quoad Patronos minus principales se accommodent.

V. Quæ hæcenus dicta sunt de Patrono magis principali Loci, eadem etiam Fundatori & Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem ejusdem conveniunt, excepto quòd non prohibitum videatur Regularibus plures Patronos sub ritu Duplici primæ vel secundæ Classis, & cum Octava celebrare.

VI. Titulus Altaris vel Capellæ celebrandus est, prout in Calendario Romano describitur, in quo si neque nominatur, dici poterunt ad illud Altare Missæ Festivæ cum Hymno Angelico, & tribus Orationibus. Officium tamen nullatenus de eo dicendum est sine Majorum licentia, ad quos pertinet ritum mutare.

VII. In Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Calendario, erit eâ die omittenda Commemoratio de Patrono, quæ solet fieri inter suffragia. Arnaud. tit. 12.

P A R S II.

**DE IPSA PRAXI OFFICII
DIVINI RECITANDI.**

TITULUS I.

**QUOMODO MATUTINUM RECI-
TANDUM SIT.**

Instr. II.

B

§. I. De

§. I.

De Initio Matutini.

I. **A**D initium Matutini semper dicitur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum.

II. Subjungitur *Domine labia*. Et pollice formatur Crux in labijs. Tum dicitur: *DEVS in Adiutorium*; formando manu majorem Crucem, & subjungitur *Gloria Patri*, addendo in fine *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine* à Septuagesima usque ad Pascha.

III. Hi Versus semper dicuntur, excepto die Epiphaniæ, & in Officio trium ultimorum dierum Hebdomadæ Sacræ, (quod utpote extraordinarium semper in communibus Regulis exceptum volumus) & in Officio Defunctorum.

§. II.

De Invitorio.

I. **S**umitur ex communi Sanctorum, quodcumque dicitur Officium de Sancto, nisi proprium assignetur in proprio Sanctorum.

II. In Dominicis & Ferijs sumitur ex Officio Hebdomadario, nisi aliud in proprio de Tempore præscribatur. In Vigilijs Sanctorum sumitur ex Feria, in quam cadit Vigilia.

III. Tempore Paschali additur in fine Alleluja, tam quando integrum dicitur, quàm quando medium repetitur.

IV. Omittitur in Festo Epiphaniæ, & in Officio Defunctorum, quando non dicuntur tres Nocturni; excipitur tamen dies Commemorationis, & Depositionis defuncti, ubi dicitur Invitorium, etiamsi tantum unus Nocturnus reciteretur, uti notat Gavantus *sect. 9. c. 2. num. 3.* ex Rituali Romano.

§. III.

De Psalmo Venite.

I. **D**icitur semper, quando Invitorium recitatur.

II. Si Invitorium sit *Venite Exultemus* (ut in Feria secunda contingit) tum post repetitionem Invitorij omittitur.

omittuntur tria prima verba Psalmi, & inchoatur ille à Verbis *Iubilemus DEO salutari nostro.*

III. A Dominica Passionis usque ad Pascha non dicitur in hoc Psalmo *Gloria Patri*, nisi in Festis occurrentibus. Invitatorium tamen perinde repetitur, atque aliàs fieri consuevit.

§. IV.

De Hymno.

I. IN Dominicis & Ferijs sumitur ex Officio Hebdomadario, nisi alius in proprio de Tempore præscribatur. In Festis omnibus, nisi proprius assignetur, sumitur ex communi Sanctorum. In Vigilijs sumitur ex Officio Feriæ, in quam cadunt Vigiliæ, excepta Vigilia Pentecostes, & Epiphaniæ, quæ sub ritu Semiduplici celebrantur.

II. Ultima Stropha, si Hymnus sit compositus ex dimetris Jambicis, mutatur eo modo, qui in Rubricis §. 20. assignatur. In Hymno Confessorum verò loco illorum Verborum in prima Stropha: *meruit beatas scandere sedes*: si non est dies obitus, dicitur: *meruit supremos laudis honores.* De qua mutatione sic loquitur Gavantus in Commentar. Breviar. l. 8. c. 3. n. 7. *In Translationum Festis, & quando Officia Confessorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur versus in Hymno: Iste Confessor: ut in Breviario Urbani VIII. iussu recognito, ne mendacium dicatur, quòd eo die obierint. In Hymno Laudum Confessorum non Pontificum videbatur etiam mutandus ille versus: Dies refulsit lumine, Quo sanctus hic de corpore. Sed non mutatur, quia non dicimus. Hic dies præcisè, in quo fit Officium. Contingit etiam transferri Officium à die obitus in immediatè sequentè diem, putà à Dominica in Feriam secundam, & eo casu in primis Vesperis non est mutandus prædictus versus, quia verè eo die obiit. Infra Octavam verò dicitur, ut in Festo, quia, ut sæpe dixi, tota Octava est velut unus, idèmq; dies, Octava scilicet Festi, non autem Octava dierum mensis, intra quem translatum Festum continet celebrari, quod bene nota. Hucusque Gavantus, cui tamen Recentior quidam, & in Rubricis optimè versatus Rubricista acriter se opposuit, & privato scripto fusè pro-*

bare conatus est, Rubricam illam interlinearem in Hymno Confessorum non Pontificum appositam: *Si non est dies obitus*: de Solis Translationibus Reliquiaris, vel alijs illorum Titulis ac Memorijs v. g. Inaugurationis, Canonizationis &c. non verò de eorum Festis Natalitijs in diem aliam (præcisè propter Festorum occurrentium impedimentum) sive stabiliter, sive casualiter translatis intelligendum esse. Probat autem hanc suam opinionem duplici potissimum argumento. 1. Quòd dies obitus Ecclesiasticè & moraliter (prout Papa loqui potuit, & debuit) adhuc maneat, etiamsi fiat Translatio Festi; atque adeò hæ voces *Festum, Dies Festi*, sive *Tituli* pro synonymis sumantur, nec per Translationem Rubricalem in Choro & Officio quidquam perdant; id quod varijs instantijs ostendit; nam & Dies Paschatis, vel Pentecostes vocatur adhuc Festum Paschatis &c. etiam si singulis ferè annis in alium diem, quàm quo verè peractum est Mysterium, transferatur. Et in Missa pro Defunctis in die Depositionis dicitur: *Quam hodie de hoc Saculo migrare iussisti*: etiamsi funus frequenter post aliquot dies ab obitu deponatur. Item Festum S. Stephani ejusdem Natalis 26. Decembris dicitur, etiamsi non diu post Ascensionem lapidatus sit. Ex quibus proin exemplis satis patet, Ecclesiam in voce *Hodie* & similibus æquivalentibus non scrupulosam esse, sed hæc vel illâ die fieri, aut factum esse, simpliciter asserere, quâ memoriam illius facti celebrat. 2. Idipsum probat ex tit. 10. Rubric. Gen. ubi supponitur, de Festis translatis omnia dicenda esse, sicut de non translatis, nullâque mentio de hac exceptione facta est licet Urbanus VIII. in Bulla Breviario à se correcto præfixa, dicat, Rubricas in eo, detractis nonnullis, quibusdam adjectis, clariùs & commodiùs explicatas esse. Verùm ut ego hunc discursum efficaciter, rectèque probare judicem, rationem à Gavanto pro sua sententia allatam (ne scilicet mendacium dicatur, quòd eo die obierit) solidam non esse, ut quæ per omnes suprâ allatas, pluresque alias instantias efficaciter refutetur, non censéo tamen ab ejusdem Gavanti sententia recedendum ob sequentem præcipuè rationem, quòd cum haud dubiè hæ voces: *Dies obitus*: duplici modo sumi potuerint ab Ecclesia, physicè scilicet, & moraliter, hanc hoc loco physicè & strictè eas sum-

sumpsisse, colligatur ex varijs argumentis. 1. Ex ipsis Recentioribus Breviarijs, & Diurnalibus, ut vocant, quæ in certis quibusdam Festis v. g. S. Dominici, S. Salsitij, S. Basilij &c. diligenter & signatè monent, hunc versum mutandum esse; cum ergo dubitare nemo prudenter possit, quin omnia, quæ in ejusmodi Breviarijs comprehenduntur, auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ speciatim valde semper sollicita fuit, ut uniformis in Horis Canonicis persolvendis ritus observaretur, sint inserta, meritò hæc sola auctoritas sufficere potest ac debet, ad communem Gavanti sententiam retinendam. 2. Id ipsum sat clarè probatur ex decreto S. Congregationis Rituum 9. Junij 1668. edito, in quo eadem sententia clarissimè indicatur, & confirmatur sequentibus verbis: *Sacra Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Brancatij censuit, Officium SS. ad libitum, si cadat in die impedita, non tamen in concursu alterius aequè, & magis privilegiati, debere transferri, in proximam diem non impeditam, & mutandum verbum Hymni: Iste Confessor; ut in Festo S. Philippi Nerij, mense Maio tunc ad libitum celebranda.* 3. Non parùm etiam ex ipsa praxi eadem opinio Gavanti confirmatur, quæ quidem praxis adeò communis est, ut non ego duntaxat, sed alij quoque Rubricistæ hoc super dubio à me consulti mecum apertè confessi sint, nunquam se de alia praxi & opposita supra citati Recentioris sententia quidquam audivisse; cur ergo à tam recepta, & ab ipsa, ut vidimus, Ecclesia approbata consuetudine recedamus? Neque obstat, quòd in Rubricis generalibus nulla de hac mutatione in Festis translatis facienda mentio sit facta; nam neque novum, neque infrequens est, quòd in decursu ipsius Breviarij speciales aliquæ Rubricæ inserantur, per quas Rubricis generalibus derogetur; sic enim de facto in Festis infra Octavam Nativitatis Domini occurrentibus vix ulla Rubrica Generalis servatur; & in Festo SS. Joannis & Pauli 26. Junij cum Octava S. Joannis Baptistæ concurrente contra leges Rubricarum generalium integræ Vesperæ secundæ SS. Martyribus attribuuntur, nec tamen aut hujus, aut priorum Rubricarum specialium ulla in Rubricis generalibus mentio est facta.

III. Omittitur à Triduo ante Pascha usque ad Domini-

cam in Albis exclusivè. Item in die Epiphaniæ, & in Officio Defunctorum.

§. V.

De Antiphonis Nocturnorum.

I. **I**N Dominicis & Ferijs sumuntur semper ex Psalterio. In Festis Duplicibus & Semiduplicibus sumuntur ex Comuni Sanctorum, nisi propriæ habeantur. In diebus infra Octavam, & in ipsa Octava accipiuntur communiter eadem, quæ ipso die Festo acceptæ fuerunt. In Festis Simplicibus & Vigilijs ex Psalterio sumuntur.

II. Tempore Paschali, omnes Psalmi unius Nocturni sub prima tantum Antiphona dicuntur, (excepto Officio de Festo Ascensionis) quæ proinde in fine cæteris omnibus omissis repetitur, addito Alleluja.

III. In Duplicibus quælibet Antiphona tam antè, quam post Psalmum vel Psalmos integra dicitur: alijs autem diebus ante Psalmum vel Psalmos tantum inchoatur, & in fine Psalmi integra dicitur.

IV. In Septuagesima usque ad Pascha, quando Antiphona habet Alleluja, hoc omittitur.

V. Si Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, non repetitur principium, sed statim pergitur, in Psalmi vel Cantico, nisi in Antiphonæ fine Alleluja addatur, tunc enim in Duplicibus Psalmus ab initio repetitur, ut notat Gavantus s. 9. c. 7. n. 17.

§. VI.

De Psalmis Nocturnorum.

I. **I**N Dominicis, Simplicibus, Ferijs, & Vigilijs simplicibus sumuntur ex Psalterio. In Festis Duplicibus & Semiduplicibus accipiuntur ex Comuni Sanctorum, nisi proprij assignentur. In diebus infra Octavam, & ipsâ Octava sumuntur iidem, qui in Festo sunt accepti.

II. In fine Psalmorum semper additur *Gloria Patri*. In Officio Defunctorum loco *Gloria Patri*, dicitur *Requiem æternam*.

III. Qui dividit Nocturnam à Nocturno, per horam unam,

unam, plurésque, cum iusta causa, non peccat. ex Bonac.
Gavant. sect. 1. c. 6. tit. 9. n. 2.

§. VII.

De Versibus Nocturnorum.

I. IN Dominicis, Ferijs, & Vigilijs, quæ sub ritu Simpliciter celebrantur, sumuntur ex Psalterio. In Duplicibus, & Semiduplicibus ex Communi Sanctorum, nisi proprii præscribantur. In Simplicibus accipiuntur de Sanctis, prout in Psalterio post Psalmos cuiuslibet Feriæ notatur.

II. Tempore Paschali in fine Versus, & Responsorij additur Alleluja.

§. VIII.

De Absolutionibus, & Benedictionibus.

I. POST versum dictæ orationis Dominicæ dicuntur Absolutiones, prout immediatè ante Psalterium notatur. Quando dicitur illa Benedictio, *Cuius Festum colimus*, non additur nomen Sancti.

II. Qui solus recitat Officium ante Benedictionem debet dicere: *Iube Domine*, non *domne*, quia tunc à DEO petit benedictionem. Gavant. c. 11. n. 4. & colligitur ex Rubricis Missalis tit. 6. de ritu celebr. Miss. n. 2. ubi celebrans dicere iubetur: *Iube Domine benedicere*; Diaconus verò in ordine Missæ solummodo *Iube Domne benedicere*.

III. Dicuntur semper excepto triduo ante Pascha, & in Officio Defunctorum.

IX.

De Lectionibus.

I. IN Dominicis, & Ferijs sumuntur semper ex proprio de tempore.

II. In Duplicibus primæ & secundæ Classis & Majoribus per annum, primæ tres Lectiones, si propriæ non habeantur, ex Communi Sanctorum sumendæ sunt; quod idem etiam faciendum in Festis Patronorum minus Principalium, nisi ob angustiam temporis ponendum sit initium Prophetæ,

quod in his ultimis Festis poni decretum est in postrema Brevariij recognitione. Gavant. *f. 5. c. 12. n. 15.* In alijs Duplicibus & Semiduplicibus primæ tres, nisi aliud dicatur, plerumque sumuntur de Scriptura occurrente. Secundæ tres ex proprio Sanctorum, aut certè ex communi. Ultimæ tres communiter accipiuntur ex communi Sanctorum, nisi speciales assignentur in proprio Sanctorum.

III. Quando Rubricæ dicunt, in novem Lectionum Officio, si facienda sit Commemoratio de Sancto aut Feria, aut Dominica, quæ habet proprium Evangelium, quod legi debet pro nona Lectione, ex octava & nona Lectione unam faciendam esse, aut nonam omnino omitti posse, intelligendum hoc est, nisi in nona Lectione laus propria eorum, de quibus Festum celebratur, contineatur, tunc enim omnino nonam octavæ jungi convenit. Gavant. *l. c. num. 16.*

IV. Si dies Octava, quæ habet proprium Evangelium, (qualis est Octava SS. Apostolorum Petri & Pauli) occurrat in Dominica, (in qua fit de Titulari Ecclesiæ, vel Patrono loci, cum Commemorationibus Dominicæ, & Octavæ) legatur Dominicæ Evangelium cum sua Homilia pro nona Lectione, licet Octava, quæ est Duplex, dignior sit quàm Dominica. Unde etiam Evangelium Dominicæ, in fine Missæ legendum erit: quia nulla Dominica omitti debet. Gavant. *sect. 3. c. 11. n. 37.*

V. Si aliquo die in Lectionibus primi Nocturni initium alicujus Scripturæ dicendum foret, occurrat autem Festum proprias habens Lectiones, tum initium illud sequenti die non impedito dicendum erit, & Lectiones illi diei assignatæ, vel prioribus jungendæ, vel omnino omittendæ. Quòd si autem ita caderet initium illius Scripturæ, ut nullo subsequenti die dici possit, possit autem in aliquo ex antecedentibus, intra assignatam tamen hebdomadam, tum in hunc aliquem transferri debet; nunquam enim extra hebdomadam sibi assignatam Lectiones præscriptæ sunt legendæ, uti Gavantus *f. 5. c. 12. n. 12.* notat, ubi etiam conformiter Rubricis monet, hoc, quod de initio S. Scripturæ dictum est, de prima solum D. Pauli Epistola, & libro primo Regum, non autem de subsequentibus, ut qui per modum unius Epistolæ aut libri reputantur, intelligendum esse; unde licet initia posterio-

steriorum Epistolarum aut librorum Regum assignato loco legi non possint, non sunt sequenti die non impedito legenda, sed liberè omitti possunt.

VI. Si Festum aliquod novem Lectionum exigens pro primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, occurrat cum Feria aliqua Majore, nullas Lectiones ex Scriptura, sed ex SS. Patribus super Evangelium habente, tum Lectiones primi Nocturni, ex Communi Sanctorum accipiendæ sunt.

VII. Si Festum SS. Philippi & Jacobi in Sabbato Dominicæ tertiæ post Pascha occurrat, tunc in Dominica quarta legi debent Lectiones sequentis Feriæ (quæ alioqui ob sequens Festum Inventionis S. Crucis omitti deberent) ne bis initium Epistolæ S. Jacobi immediatè repetatur. An verò idem etiam faciendum sit, si tantum duobus aut tribus diebus antè celebratum fuisset illud ipsum Festum, dubitarunt aliqui, sed cum Sabbatum duntaxat nominarint Rubricæ, non videtur ad alios casus extendenda hæc omisso.

VIII. Si Festum aliquod habens Octavam, & in Breviario non indicatum occurrat, in sex diebus infra Octavam, primi Nocturni Lectiones erunt de Scriptura occurrente, aut (si simul Feria major aut Vigilia habens Homiliam eo die occurrat) ex Communi Sanctorum; Secundi verò, & tertij Lectiones, si propriæ non habeantur, desumendæ itidem erunt ex Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Officium; alioqui Lectiones ipsius diei Festi repetendæ erunt. In ipsa verò die Octava Lectiones primi & tertij Nocturni, si propriæ non habeantur, sumentur ex ipso Festo, solæ verò Lectiones secundi Nocturni ex Communi Sanctorum accipientur.

IX. In Simplicibus prima & secunda communiter accipitur de Scriptura occurrente, tertia de Sancto, nisi hic duas habeat, tunc enim prima tantum ex Scriptura accipitur, vel ex tribus una fit Lectio, & loco primæ Lectionis dicitur. Quòd, si Sanctus propriam Lectionem non habeat, ea ex communi sumenda erit, uti clarè satis indicat Rubrica §. 26. n. 4. ubi ait: *Si unam tantum habuerit (Sanctus) vel propriam, vel ex communi assignatam; & habetur manifestum exemplum in Festo S. Margaritæ 20. Julij.* In Officio tamen novem Lectionum rectius dici videtur, eam, si propria non fuerit, omnino omittendam, sicut satis distinctè iterum

Rubrica *tit. tit. n. 4.* indicat. Et Ratio esse videtur, quia tunc in secundo & tertio Nocturno jam aliquæ Lectiones Sancti cujusdam Patris leguntur, unde non videtur congruum, ut iterum in fine similes Lectiones assignentur, nisi fortè illæ tales sint, ut in ijs talis Sancti laudes nominatim contineantur, uti in Festo S. Clementis 23. Novembris contingit, ubi de S. Felicitate Homilia quidem S. Gregorij legitur, sed in qua distincta fit mentio ejusdem Sanctæ. Ita etiam Gavantus *sect. 3. c. 11. n. 34.* ubi exemplum de S. Hermete in Festo S. Augustini occurrente affert, qui nonam Lectionem non habet, eò quòd propriam non habeat. Atque id ipsum conformiter Rubricis fieri contendit, quæ n. 9. de Translat. Festorum dicunt, nonam Lectionem de Sancto faciendam esse, *si propriam de vita Sancti habuerit.*

X. In Vigilijs sumuntur ex communi Sanctorum, nisi propriam habeantur.

XI. Si in aliquo Festo novem aut trium Lectionum Hymnus Ambrosianus non dicatur, omittitur Lectio Nona de Sancto, etiamsi propriam habeat; quia cum loco Hymni illius Responsorium nonum dici debeat, hoc autem non conveniat Lectioni de Sancto, meritò hæc omnino omittitur. Sed & infra Octavas Paschæ & Pentecostes nunquam dicitur tertia Lectio de Sancto; quod Gavantus *f. 3. c. 11. n. 35.* ideo fieri putat, ne, quia alias parùm legitur de solemnibus Festis, per Lectionem de Sancto nimis minuatur. Verùm quia etiam in Adventu, si in Feria Simplex Festum occurrat, nona Lectio de eo non dicitur, rectius tota ratio in arbitrium Ecclesiæ statuentis rejicitur.

XII. Si cum Festo novem Lectionum simul Festum simplex, & Feria major aut Dominica habentes proprium Evangelium occurrant, pariter omittitur nona Lectio de Sancto, eò quòd in tali casu Dominica & Feria major, utpote digniores, nonam Lectionem exigant. Ex quibus omnibus patet, quid universim respondendum sit ijs, qui regulam universalem habere desiderant, ex quo cognoscere possint, quando de simplici Festo nona Lectio dicenda sit; nimirum dicendum esse, non posse unam; sed duas duntaxat dari, quarum prior pro Festis trium Lectionum serviat, & sit hæc:

In nulla Feria maiore, aut Vigilia dicitur tertia Lectio de Sancto.

Poste-

Posterior pro Festis novem Lectionum serviens ista sit: *Quandocumque omittitur Hymnus Ambrosianus, aut Sanctus propriam Lectionem non habet, nona Lectio de Sancto dici non debet.* Quibus duabus regulis addi potest tertia Dominicis & Ferijs serviens: *Quoties de Dominica aut Feria maiori in Officio fit Commemoratio duntaxat, de iisdem Nona Lectio dici debet.* Hinc si Octava v. g. SS. Apostolorum Petri & Pauli occurrat in Dominica, & eodem die etiam Dedicatio, cui Octava cedere debet, occurrat, lectio nona juxta Gavantum de Dominica, licet Octava sit dignior, & proprium Evangelium habeat, dicenda erit, eò quòd in Missa quoq; Evangelium ultimum de Dominica legatur; nona Lectio autem & Evangelium concordare debeant. Ex quo colligitur prædictam regulam tertiam non potuisse universaliter poni de quocumque Officio, cùm de die Octava in dicto casu, & Simplici infra Octavam Corporis Christi occurrente Commemoratio fiat, & tamen nona Lectio non legatur.

XIII. Post singulas Lectiones dicitur: *Tu autem Domine, miserere nobis,* & subjungitur *DEO gratias,* præterquam in Officio Defunctorum, & in triduo ultimo Sacræ Hebdomadæ. Titulus Authoris in Lectione semper præponitur.

§. X.

De Responsoriis post Lectiones.

I. **S**umuntur in Dominicis & Ferijs, & Vigilijs ex proprio de Tempore. In Festis, nisi propria habeantur, sumuntur omnia ex Communi Sanctorum, ita tamen ut in Festis Simplicibus duo duntaxat ex illo Nocturno accipiantur. quæ Feriæ, in quam Simplex cadit, respondent, in quorù postremo *Gloria Patri* cum consueta repetitione Responsorij additur.

II. Tempore Paschali in fine Responsorij ante Versum additur Alleluja, iterùmque in repetitione repetitur. In fine autem Versus non additur.

III. Tempore Passionis omittitur *Gloria Patri* in Responsorio Officij de Tempore, sed non in Officio Sanctorum, & ejus loco resumitur Responsoriũ à principio ad finẽ usque.

IV. Responsoria primò ponenda in Dominica, si hæc impediatur à Festo Duplici, ponenda sunt in prima Feria se-

quenti tanquam historiae principium, antequam dicantur alia Responsorialia. Quòd si totà in hebdomadâ nulla Feria occurrat, occurrat autem simplex Festum, tum hoc cedere debet Feriæ, & de eo solùm Commemoratio fieri. Quòd si verò nec Simplex per totam hebdomadam occurrat, tum sequenti hebdomade ponenda sunt, nisi in Dominica sint alia Responsorialia primò ponenda; tum enim præcedentis hebdomadæ prima die Festo duplici non impedita Officium fieri de Feria, & Semiduplex transferri deberet, uti habetur in Rubrica tit. de Respons. n. 8.

V. Responsorialia etiam secundæ Feriæ propria, si propter Festum occurrens poni non possint in ea Feria, ponuntur in sequenti prima occurrente Feria. Ubi verò non adsunt, et Nocturnis Dominicæ secundùm Ordinem illum, qui in Absolutionibus tenetur, sumuntur juxta n. 7. ejusdem tituli.

VI. Responsorium post octavam Lectionem pro Fratribus Martyribus: *Hæc est vera Fraternitas*: non dicitur unquam, nisi verè ij Fratres sint secundùm carnem. Quòd si cum Fratribus carnalibus celebrentur alij non Fratres (uti in Festo SS. Placidi & Sociorum contingit) non dicitur.

VII. Qui inchoat Responsorium, idem etiam dicit Versum integrum, imò & *Gloria Patri*, par enim est ratio; ceteri verò de Choro absolvunt Responsorium, & repetunt post Versum, & post *Gloria Patri*. Gavant. c. 13. n. 5. Licet hodie multi contrarium in privata saltem recitatione faciant; dum, qui inchoat Responsorium, pergit in illo recitando usque ad versum exclusivè; & hunc recitat, qui Lectionem dixerat.

§. XI.

De Hymno Ambrosiano.

I. Dicitur semper, exceptis Dominicis violaceum colorem requirentibus; & Ferijs, in quibus vel violaceus vel viridis color adhibetur.

II. Potest separari Matutinum à Laudibus licitè absque peculiari causa, (etiam totâ nocte interposita. Gavant. s. 1. c. 6. tit. 9.) uti rectè Sanch. Bonart. Tann. apud & cum P. Gobat. tr. 5. n. 672. contra Azor docent. An verò & quid post finitum Hymnum Ambrosianum in tali casu adjungendum sit, non conveniunt Authores. Gavantus s. 4. c. 3. cum

Frans-

Francolino & Navarro putat orationem cum Benedicamus absque Commemorationibus dicendam, & submissâ voce Orationem Dominicam adjungendam; sed negant hoc necessarium esse Sanch. Azor. Bonart. & multi alij apud & cum P. Gobat *l. c.* eò quòd nulla Rubrica illam recitationem præcipiat. Unde poterit quivis in praxi alterutram partem sequi.

TITULUS II.

DE LAUDIBUS.

§. I.

De initio Laudum.

I. **S**I Laudes separentur à Matutino, dicitur Pater & Ave ad Sinitium illarum; secus verò, si continuentur cum Matutino. Ita Gavantus, Bonart. Tann. Navarr. Francolinus, apud & cum P. Gobat *tr. 5. n. 673.* ubi ait, se nescire ullum, qui hoc neget præter Azor.

II. **DEVS** in *Aditorium* semper dicitur, exceptis tribus ultimis diebus Sacræ Hebdomadæ, & Officio Defunctorum.

§. II.

De Antiphonis.

I. **I**N Dominicis, Ferijs & Vigilijs Simplicibus sumuntur ex Psalterio; in Festis verò ex Communi Sanctorum, nisi aliæ in proprio de Tempore aut Sanctorum assignentur.

II. In Duplicibus ante & post Psalmos integræ recitantur.

III. Tempore Paschali in Dominicis & Ferijs primi tres Psalmi dicuntur sub una Antiphona. In Festis verò cuilibet Psalmo una Antiphona subjungitur, addito Alleluja, nisi jam antè in illa Antiphona esset additum.

§. III.

De Psalmis.

I. **I**N Dominicis sumuntur semper Psalmi Dominicales, excepto tempore à Septuagesima usque ad Pascha, ubi loco primorum duorum Psalmorum dicuntur Psalmi *Miserere & Confitemini.*

II. In omnibus Festis sumuntur Psalmi Dominicales.

III. In Ferijs Psalmus **DEVS DEVS meus & Laudate,** semper

semper recitantur; reliqui mutantur, prout in Officio de quolibet Feria notatur. Excipe Ferias Paschales, in quibus semper Psalmi Dominicæ dicuntur.

IV. In Vigilijs sumuntur ex Feria, exceptis Vigilijs Nativitatis, Epiphaniæ, & Pentecostes.

§. IV.

De Capitulo.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Vigilijs sumitur ex Psalterio nisi aliud in Officio de Tempore assignetur; uti fit in Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ; & Septuagesima usque ad tertiam Dominicam post Pentecosten, in quibus regulariter Capitulum ex primis Vesperis accipitur juxta Rubricas de Capit. n. 3.

II. In Festis, ex communi Sanctorum accipitur, nisi aliud in proprio de Tempore aut Sanctorum præscribatur.

III. Nunquam omittitur, nisi in Feria quinta Ccenæ Domini usque ad Sabbatum in Albis inclusivè, & in Officio Defunctorum.

IV. In fine Capituli semper additur *DEO gratias*.

§. V.

De Hymno.

I. **S**emper dicitur, exceptis diebus à Feria quinta Ccenæ Domini usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & Officio Defunctorum.

II. In Dominicis, & Ferijs, & Vigilijs sub ritu simpliciter celebrandis sumitur ex Psalterio. In Festis, ex Communi Sanctorum, nisi aliud in Officio de Tempore, aut proprio Sanctorum notetur.

III. Ultima Strophæ mutatur pro Temporis aut Officii varietate.

§. VI.

De Versibus, & Antiphona ante Canticum Benedictus.

I. **A**ntiphona ante Canticum *Benedictus* semper dicitur. Versiculi hanc Antiphonam antecedentes omittuntur solum à die Resurrectionis usque ad Dominicam in

bis exclusivè, quo tempore eorum loco dicitur Antiphona
Hæc dies.

II. Tam Versiculi, quàm Antiphonæ sumuntur diebus
Dominicis, Ferijs, & Vigilijs simplicibus ex Psalterio; in Fe-
stis verò ex Communi Sanctorum, nisi propriæ in Officio de
Tempore, aut proprio Sanctorum assignentur.

III. Antiphona post Canticum integra repetitur, addi-
to Alleluja (quod etiam Versibus additur) tempore Paschali.
Ante Canticum integra dicitur in Duplicibus, reliquo tem-
pore inchoatur tantùm.

§. VII.

De Cantico Benedictus.

I. **S**emper dicitur, & clauditur per *Gloria Patri*, excepto
Officio Defunctorum, ubi Versus *Requiem* substituitur,
& triduo S. Hebdomadæ, ubi omittitur.

§. VIII.

De Precibus Ferialibus.

I. **D**icuntur hæ tantùm in Ferijs Adventûs, Quadragési-
mæ, Quatuor Temporum, & Vigilijs, quæ jejunan-
tur, exceptis Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecostes,
& Vigilia Nativitatis Christi, ac Paschatis.

§. IX.

De Oratione.

I. **P**ost Antiphonam, quæ Cantico *Benedictus* subjungi-
tur, aut preces (si dicuntur) absolutas dicitur *Dom-
inus vobiscum*, aut (si is, qui Officiùm recitat, necdum sit
Diaconus) *Domine exaudi orationem meam*, & præmissa *O-
remus* subjungitur Oratio conveniens Officio, quæ semper
clauditur eo modo, qui in ipsa oratione annotatur.

§. X.

De Commemorationibus specialibus.

I. **C**ommemorationes speciales dicuntur ex Orationes,
quæ ratione Festi occurrentis dicendæ sunt, de quibus
tria potissimùm notanda occurrunt, videlicet Tempus, Or-
do, Modus.

Tem-

Tempus quod attinet, sequentes tres Regulæ servire possunt. Prima. In Festis Duplicibus primæ Classis nulla fit Commemoratio, nisi Octavarum privilegiatarum (puta Nativitatis, Epiphaniæ, Corporis Christi) diei Octavæ cujuscunque, Dominicæ, Feriæ Majoris, & Vigiliæ Epiphaniæ. Secunda. In Festis Duplicibus secundæ Classis præter Commemorationes, quæ fiunt in Duplicibus primæ Classis, fit etiam Commemoratio Festi Simplicis, (saltem in Laudibus) & Vigiliæ, non autem diei infra Octavam, quia de Octava sæpius fit Officium, non autem de Simplici; hoc enim nunquam transfertur. Tertia. In Duplicibus alijs, & Semiduplicibus fit Commemoratio cujuscunque Feriæ privilegiatæ, Vigiliæ, diei infra Octavam, & Simplicis Festi.

II. Ordo Commemorationum in duabus consistit Regulis. Prima est, ut semper præcedat Duplex, Dominica, Semiduplex, Dies infra Octavam, Feria Major, Vigilia, B. MARIA in Sabbato, Simplex.

Secunda, ut inter Festa ejusdem gradus dignius præferatur minùs digno. Constituitur autem Ordo dignitatis hoc ferè modo, ut primo loco ponantur Festa Christi Dominum, B. Virginis, Angelorum, S. Joannis Bapt. Apostolorum, Martyrum, Confessorum Pontificum, Confessorum non Pontificum, Virginum Martyrum, Virginum non Martyrum, non Virginum.

De Patrono quoque Locì regulariter ante Titularem fieri Commemorationem convenit, quod idem etiam de Patrono Principali Ordinis sentiendum. In Ecclesia omnium Sanctorum nomine dicata fieri debet Commemoratio de Apostolis ante Commemorationem de Omnibus Sanctis, uti fit in Officio parvo B. Virginis. Neque inconueniens est, de eodem bis fieri mentionem, semel apertè, semel latentè; sic enim de facto contingit infra Octavam Omnium Sanctorum, in qua fiunt Commemorationes de varijs Sanctis occurrentibus, licet in Oratione principali de ijsdem jam implicitè facta sit mentio. Si Ecclesia sit B. Virgini dicata, sufficit Commemoratio communis *Concede &c.* neque alia facienda est, teste Gavanto c. 18. n. 11. In Officio Vigiliæ Patroni vel Titularis omittitur eorum Commemoratio.

Ex quibus obiter colligitur, minùs congruè à Gavanto

sect. 5.

sect. 5. c. 18. n. 7. in Ordine dignitatis Sanctos Veteri Testamento post Apostolos statim collocari, cum nullum hujus Prælationis fundamentum ex Rubricis habeatur, atque adeò meritò idem inter hos & Sanctos Novi Testamenti Ordo constituatur, qui inter alios Sanctos Novi Testamenti solet observari.

III. Modus Commemorationum requirit, ut primò recitetur Antiphona, & Versiculi ex Laudibus in Proprio Sanctorum, aut de Tempore, aut in Communi positus. Si autem hi Versiculi cum Antiphona jam dicti sunt propter simile Festum occurrens, tum pro Commemoratione sumenda est Antiphona cum Versiculis ex primis Vesperis; quòd si & hi jam dicti sint, tum Antiphona quidem sumenda est ex secundis Vesperis, Versiculi autem ex primo Nocturno, nisi & hi similes sint illis, qui jam priùs sunt dicti, tum enim ex secundo Nocturno sumendi erunt. Si verò, uti contingere potest, & quarta similis Commemoratio facienda est, tum pro Antiphona quidem sumenda est ea, quæ prima in primo Nocturno ponitur, pro Versu verò is, qui in Nocturnis positus, & necdum pro Commemoratione dictus est, uti Gavantus s. 3. c. 11. n. 30. & Arnaudus p. 1. tit. 9. n. 27. volunt. Antiphonæ ad *Benedictus* de communi Confessorum Pontificum, & non Pontificum sunt diversæ saltem in fine, atque adeò utraque pro eodem Officio servire poterit. Tam Versiculis his, quàm Antiphonæ tempore Paschali additur Alleluja. Secundò, ut oratio recitetur vel ex Proprio Sanctorum, vel de Tempore, vel de Communi Sanctorum. Inchoatur semper ab *Oremus*, non autem clauditur per clausulam ordinariam, nisi sit ultima.

§. XI.

De Suffragijs Communibus.

I. **D**icuntur hæc Suffragia communia, quia plurimis diebus fieri solent, nimirum quodocunque non est Duplex, aut dies infra Octavam, aut dies intra Adventum, aut intra Dominicam Passionis, & SS. TRINITATIS occurrens. Omittuntur etiam, quando dies Octava cadit in Dominicam privilegiatam: licet de Octava eo casu tantum fiat Commemoratio. Gavant. sect. 3. c. 8. n. 13.

Instruct. II.

C

II. Or-

II. Ordo Suffragiorum hic observatur. Prima est de Cruce, (siquidem de hac facienda sit Commemoratio propter Feriam) quæ semper omnibus præponitur, etiam Commemorationi de ipsa SS. TRINITATE. Altera est de B. Virgine, si quidem de ea Officium non fiat, aut Officium parvum in Choro non recitetur, in hoc enim gemino casu non fit Commemoratio, nisi B. Virgo sit Patrona Ecclesiæ, uti Gavantus *sect. 5. c. 18. n. 3.* decisum esse à S. Congregatione testatur, dum ait: *De S. MARIA non fit (Commemoratio in Suffragijs) nisi in propria Ecclesia tanquam de Titulari ex decreto S. Congregationis Rituum 10. Ian. 1764. quando dicitur eiusdem Officium parvum in Choro.* Quod ideo fortassis decretum est, ut nunquam omitti debeat Commemoratio Titularis Sancti in ipso Officio. Unde etsi idem Gavantus mox addat, non decere, ut de eodem fiat simul Officium & Commemoratio (ob quam causam Arnaudus tr. 2. tit. 15. putat, nec in propria etiam Ecclesia faciendam esse Commemorationem, quando parvum Officium dicitur) id tamen ita intelligendum est, ut in illo duntaxat casu, quo B. Virgo Titularis non est, locum habeat; alioqui enim decretum S. Congregationis prorsus supervacaneum esset, cum ex Rubricis tit. 35. n. 4. sat clarum fuisset, de B. Virgine Commemorationem fieri non debere, quando ejus Officium parvum dicitur. Tertia est de SS. Apostolis Petro & Paulo, ultima de Pace. Et hæc quidem Commemorationes modo prædicto fiunt in omnibus Ecclesijs, quibus tamen pro diversitate locorum inferuntur duæ Commemorationes, una de Patrono Diocesis, & altera de Patrono Titulari Ecclesiæ, & ponuntur eo loco inter has Commemorationes, quem dignitas earum requirit, uti supra de Commemorationibus specialibus dictum est. Notat tamen Gavantus, si Ecclesia sit S. Salvatori dicata, eo tempore, quo de Cruce fit Commemoratio, non esse faciendam Commemorationem de Salvatore, eò quòd hæc duæ Commemorationes æquipolleant inter se.

III. Dubitârunt nonnulli, an si in Diocesi Augustana Beneficiatus aut Parochus aliquis pro Titulari suæ Ecclesiæ aut Capellæ S. Apostolum Andream v. g. habeat, de hoc primum post SS. Udalricum & Afram Commemorationem facere debeat? Ratio dubitandi ex Proprio Diocesis Augustanz

stante defumitur, in quo statim ab initio præcipitur, ut in Suffragijs semper post Commemorationem Apostolorum Commemoratio de S. Udalrico, & alia de S. Afra & Sodalibus fiat: Ad quod dubium ex dictis in §. 11. n. 2. de Laudibus responderetur, de S. Andrea Apostolo tanquam digniore ante S. Udalricum faciendam esse Commemorationem; neque Proprium Diocesanicum aliud velle, quàm quòd post Commemorationem Apostolorum etiam de S. Udalrico, & de S. Afra facienda sit Commemoratio, quod verificatur, etiam si alia inter ipsos & SS. Apostolos Commemoratio ratione majoris dignitatis intercedat; alioqui si SS. Trinitas esset Titularis, de hac post S. Afram Commemoratio facienda foret, quod utique dici non potest. Et ideo nempe Rubricæ in §. 35. de Suffrag. dicunt, Commemorationi de B. Virgine & Apostolis adjungi Commemorationem *de Patrono, vel Titulo Ecclesie* ante vel post Commemorationem de Apostolis, ut indicaret, interdum Titularem, interdum Patronum præferri posse Apostolis, si scilicet digniores sint illis. Neque obstat, quòd priori §. dictum sit, Patronum in Commemoratione præferri debere Titulari; hoc enim intelligendum est, si in pari gradu sint constituti, v. g. uterque sit Martyr, unde ibidem vocem *regulariter* addidi.

IV. Alij verò dubitarunt, an si quis plura beneficia habeat, de singulis Patronis vel Titularibus Commemorationem facere debeat? ad quod dubium affirmativè respondendum est cum Busenbaum l. 4. c. 2. du. 2. a. 1. n. 9. & pluribus ibi cit. quia par est omnium ratio.

V. Cedunt hæc communes Commemorationes Commemorationi Festi Simplicis occurrentis, quia Festi Commemoratio privilegiata est ob titulum festivum, atque adeò meritò alijs communibus Commemorationibus præfertur.

VI. Modus recitandi hæc Suffragia idem est cum eo, quem supra in Commemorationibus specialibus observandum diximus.

§. XII.

De Fine Laudum.

I. **P**ost Orationem dictam, & factas Commemorationes dicitur *Dominus vobiscum* (aut si nondum quis Diacono

nus sit) *Domine exaudi*; tum subjungitur *Benedicamus Domino*, & *Fidelium anima*, nisi aliud Officium v. g. de B. Virgine, aut Defunctis, aut Litanis in festo S. Marci, & Ferijs Rogationum sequantur; tunc enim Versus *Fidelium* omittitur, juxta Gavant. *sect. 5. c. 22. n. 4.* quod etiam aliàs fit, si post quamcunque horam aliud quid, v. g. Missa vel Officium sequatur. Rationem addere videtur Gavantus l. c. dum sic ait: *Neque dicitur (Versus Fidelium) si aliud sequatur, ut Missa, vel Officium parvum B. MARIÆ, septem Psalmi, Litanis, in quorum fine dicitur Fidelium: vel Officium Defunctorum, in quo abundantius pro iisdem oratur.* Sed hæc ratio locum non habere videtur in Litanis B. Virginis interdum post Vesperas cantari solitis, utpote quæ ex communi praxi solâ oratione, & benedictione cum Venerabili clauduntur; quod idem etiam in Matutino Nativitatis Christi fit, quod juxta Gavantum per *Benedicamus* claudi debet, & tamen non dicitur *Fidelium* in fine solemnis Missæ.

II. Post Versum *Fidelium*, si terminandum sit Officium, dicitur *Pater noster*, *Dominus det nobis suam pacem*, & Antiphona *Salve Regina*, vel alia pro ratione temporis, & in fine additur *Divinum auxilium*. Si autem non terminandum sit, tum post Versum *Fidelium* dicitur *Pater & Ave & Credo* pro Prima, & post ultimam horam, post quam terminatur Officium, dicitur *Pater noster. Dominus det nobis: Antiphona Salve Regina*, aut alia similis. *Divinum auxilium. &c.*

III. Qui recitat pridie Vesperti Matutinum cum Laudibus, potest etiam statim recitare Litanias, si dicendæ sunt, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Gavant. *sect. 6. c. 16. n. 6.*

TITULUS III.

DE PRIMA.

§. I.

De initio Primæ.

AD initium Primæ semper dicitur *Pater, Ave, Credo*. Versiculi quoque *DEVS in adiutorium* semper subjunguntur, excepto ultimo triduo Sacræ Hebdomadæ.

§. II. De

§. II.

De Hymno.

I. **H**ymnus *Iam lucis* semper dicitur, excepto triduo ultimo Sacrae Hebdomadae, & Octava Paschae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in §. 20. Rubricarum dicitur.

§. III.

De Antiphona.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs sumitur ex Psalterio; in Festis verò prima ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi propria in Officio de Tempore, aut Proprio Sanctorum assignetur. Per Octavam Paschae Antiphona *Hac dies*, sicut in alijs horis, loco consuetae Antiphonae recitatur, non tamen inchoatur ante Psalmos.

II. Nunquam omittitur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

III. Ab initio nunquam dicitur integra, sed tantum in fine ultimi Psalmi; & tunc tempore Paschali Alleluja additur.

§. IV.

De Psalmis.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs semper dicuntur quatuor Psalmi, & secundo loco inferitur Psalmus, qui in Psalterio ponitur, excepto tempore Paschali, ubi tres tantum Psalmi *DEVS in nomine, Beati, Retribue* dicuntur.

II. In Festis Duplicibus, Semiduplicibus, Simplicibus, & B. M A R I A E in Sabbato, etiam tantum iidem tres Psalmi recitantur, qui semper clauduntur per *Gloria Patri*, excepto Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

§. V.

De Symbolo S. Athanasij.

I. **D**icitur tantum in Dominica Trinitatis, & quoties de Dominica dicitur Officium ut in Psalterio. Hinc neque in Dominicis infra Octavam Nativitatis Christi, Epiphaniae, Corporis Christi, Ascensionis, nec in Dominicis

Pascha-

Paschatis & Pentecostes dicitur, quia hæc omnia Officia non sunt propriè Dominicalia, prout in Psalterio pro Dominicis assignatur Officium.

II. Quòd autè in Dominica Trinitatis, in qua pariter non dicitur Officium, prout est in Psalterio, dicatur Symbolum, specialis est ratio; cum enim in hoc Symbolo clarissima & distinctissima fiat explicatio, & Confessio totius Mysterii SS. Trinitatis, meritò quoque, si unquam in anno, debebat hæc confessio in hoc Festo fieri. An verò, si alicubi hoc festum Titulare est, debeat hoc Symbolum per totam Octavam recitari, non conveniunt Authores. P. Theophilus Raynaudus in Heteroclytis Spiritualibus p. 1. fol. 16. contendit, per totam Octavam quotidie recitandum; eò quòd Officium per totam Octavam celebrandum sit, ut in ipso Festo; nec Symbolum in hoc Festo dicatur ratione Dominicæ, utpote de qua non fit Officium. Et ita Lugduni, ubi Societas JESU Templum SS. Trinitati dedicatum habet, de facto practicari docet. Gavantus tamen *sect. 5. c. 20. n. 4.* putat, hoc Symbolum soli Dominicæ convenire, atque adeò in tali casu non nisi in ipso Festo, & die Octava (quæ eundem cum Festo Ritum, licet non eandem classem, habere debet) dicendum, uti de facto in aliquibus locis practicatur, saltem quoad ipsum Festum. Et hæc sententia mihi quoque probabilior videretur, cum planè in tali casu Symbolum ipsi duntaxat Festo ratione Mysterii concessum videatur, quemadmodum de facto in Festo Epiphaniæ omittitur ratione Mysterij Invitatorium cum Psalmo *Venite*, quod tamen per totam reliquam Octavam deinceps dicitur; quâ sanè instantiâ, & exemplo persuadeor, ut neque cum P. Raynaudo per totam Octavam, neque cum Gavanto in die Octava, sed in solo Festo dicendum putem; suadeam tamen interea, ut suæ quisque Diocesis, aut Ecclesiæ consuetudinem servet.

§. VI.

De Capitulo.

I. **C**apitulum *Regi saeculorum* dicitur in omnibus Dominicis, Festis, & diebus infra Octavam occurrentibus, & toto tempore Paschali, exceptâ ipsâ Octavâ Paschatis usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Ca-

II. Capitulum Feriale *Pacem* dicitur in omnibus Feriis, & simplicibus Vigiliis extra tempus Paschale, excepto Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

III. Semper clauditur per *DEO gratias*.

§. VII.

De Responsorio brevi, & Versiculis.

I. **H**Oc Responsorium semper dicitur, excepto Triduo ante Pascha, & ipsa Octava Paschatis, usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Dicitur autem eodem modo in omnibus Officiis, nisi quod loco Versus *Qui sedes* nonnunquam alius substituitur, prout in Rubricis §. 28. n. 3. notatur; ipsum verò *Gloria Patri* à Dominica Passionis usque ad Pascha in Officio de Tempore omittatur. Concurrentibus duobus Versibus propriis, altero ratione temporis, altero ratione Festi, ut in Conceptione B. Virginis intra Adventum, præferri debet ratio Festi, & eius Octavae.

III. Tempore Paschali adduntur duo Alleluia ante primum Versum, eaque iterum pro repetitione partis Responsorii repetuntur, eo ferè modo, qui in Dominica in Albis indicatur. Extra tempus Paschale non additur Alleluia, etiam si in aliquo Festo propter Solemnitatem in aliis minoribus Horis Alleluia adderetur, uti in Festo Corporis Christi videre est.

§. VIII.

De Precibus.

I. **P**reces Dominicales dicuntur semper, exceptis Festis duplicibus, biduo ante Pentecosten, & triduo ante Pascha, & diebus infra Octavam; hinc omittuntur etiam preces, si Dies Octava in Dominicam cadat privilegiatam. Gavant. *sect. 3. c. 8. n. 13.* tametsi de Octava tantum facta sit Commemoratio.

II. Preces Feriales dicuntur tantum in Feriis Maioribus & Vigiliis, quæ extra tempus Paschale sub ritu simplicis, in Prima & aliis parvis Horis celebrantur; unde nec in Vigilia Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, nec in Feria II. Rogationum, aut quarta, & sexta Feria & Sabbato

quatuor temporum Pentecostes dicuntur, quia hæc omnia vel non sunt Simplicia, vel intra tempus Paschale celebrantur.

III. Qui solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omittis illis verbis: *Tibi Pater, & vobis Fratres*, quod ipsum etiam aliqui observant, quando duo privatim recitant Officium. Quando verò dicit *Misereatur*, aut *Indulgentiam*, dicere debet *nostri, & nostrorum, non mei, & meorum*, etiam si solus recitet Officium.

IV. Tempore Paschali non additur Versibus Alleluia.

V. Dicuntur in Choro flexis genibus, quod etiam, si privatim recitantur, rectè, si fieri potest, observatur.

§. IX.

De Oratione, & reliquis usque ad Lectionem brevem.

I. **P**ost preces absolutas, aut si hæc dicendæ non sint, post Versum Responsorij brevis dicitur *Dominus vobiscum* cum Oratione, quæ nunquam mutatur, aut omittitur (excepto Triduo ultimo ante Pascha) sicut nec cætera, quæ orationem illam sequuntur usque ad Lectionem brevem.

II. Ad Versum *Preiosa*, non additur *Alleluia*, etiam tempore Paschali.

III. Quando dicitur ter *DEVS in adiutorium*, non formatur signum Crucis, ut notat Gavantus *sect. 4. c. 3. n. 9.*

§. X.

De Lectione brevi.

I. **H**æc Lectio semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

II. In Dominicis, Feriis, & Vigiliis, quæ sub ritu simplici in Prima celebrantur, sumitur ex Psalterio, nisi alia præscribatur in Officio de Tempore. In Festis pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ ex Proprio vel Communi Sanctorum, vel Proprio de Tempore.

III. In fine semper dicitur, *Tu autem Domine, miserere nobis.* & subjungitur *DEO gratias.*

§. XI.

De Clausula Primæ.

I. Post

- I. **P**ost Lectionem brevem dicitur *Adiutorium* cum reliquis Versiculis usque ad finem.
- II. Si nulla alia Hora sequatur, & non continuata sit Prima cum Laudibus, subjungitur Oratio Dominica.

TITULUS IV.

DE TERTIA, SEXTA, ET NONA.

§. I.

De Initio.

- I. **A**d initium harum Horarum semper dicitur *Pater & Ave*. Versiculus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

§. II.

De Hymnis.

- I. **O**mittuntur isti Hymni nunquam, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.
- II. Nunquam etiam variantur, excepta Octava Pentecostes, ubi loco Hymni *Nunc Sancte* dicitur in Tertia Hymnus *Veni Creator Spiritus*.
- III. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in aliis Hymnis.

§. III.

De Antiphonis.

- I. **I**n Dominicis, Feriis & simplicibus Vigiliis sumuntur sex Psalterio; in Festis verò ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi pro utrisque propriae in Proprio Sanctorum, aut de Tempore assignentur. Sumuntur autem hoc Ordine, ut secunda Antiphona Tertiae Horae, Tertia Sextae, & Quinta Nonae serviat.
- II. Nunquam omittuntur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae. In Octava Paschatis verò Antiphona *Hec dies* in omnibus Horis loco Antiphonarum aliarum sola dicitur in fine Psalmorum.
- III. Ab initio semper inchoantur tantum, in fine verò

ultimi Psalmi integræ dicuntur, & tempore Paschali Alleluia additur.

§. IV.

De Psalmis.

I. **S**emper dicuntur, & clauduntur per *Gloria Patri*, excepto Triduo ante Pascha, ubi omittitur hoc *Gloria*.

§. V.

De Capitulis.

I. **S**emper dicuntur, excepto Triduo ante Pascha, & ipsa Octava Paschæ usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. In Dominicis, Feriis, & Simplicibus Vigiliis sumuntur ex Psalterio, nisi aliud in Proprio de Tempore assignetur.

III. In Festis accipiuntur vel ex Proprio, vel, si in hoc non habentur, ex Communi Sanctorum.

IV. Semper clauduntur per *DEO gratias*.

§. VI.

De Responsoriiis Brevibus.

I. **N**unquam omittuntur, nisi Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. In Dominicis, Feriis, & Vigiliis Simplicibus sumuntur ex Psalterio, nisi alia in Proprio de Tempore assignentur. In Festis accipiuntur ex Proprio, aut, si hîc non habentur, ex Communi Sanctorum.

III. A Dominica Passionis usque ad Triduum ultimum Sacræ Hebdomadæ nunquam dicitur *Gloria Patri*, nisi in Festis occurrentibus.

IV. A Dominica in Albis usque ad Sabbarum Pentecostes inclusivè, ante primum Versum adduntur duo Alleluia, iterumque post dictum hunc primum Versum sola repetuntur, ipsi tamen Versui nullum additur Alleluia.

§. VII.

De Versibus ante Orationem.

I. **S**emper dicuntur, excepto Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Tempore Paschali, id est, à Dominica in Albis usque

que ad Sabbatum post Pentecosten inclusive dicitur post Versus & Responsorium illorum unum Alleluia.

III. In Dominicis, Ferialibus, & Simplicibus Vigiliis, si proprii in Proprio de Tempore non assignentur, sumuntur ex Psalterio. In Festis ex Proprio, vel Communi Sanctorum.

§. VIII.

De Precibus Ferialibus.

I. **D**icuntur, quoties in Laudibus & Prima dictæ fuerunt.

§. IX.

De Orationibus.

I. **N**unquam omittuntur, etiam in Sacra Hebdomade. II. In Dominicis sumuntur ex Proprio de Tempore. In Festis & Vigiliis ex Proprio vel Communi Sanctorum. In Ferialibus ex Dominica præcedente, nisi propriam habeant.

§. X.

De Clausula.

I. **S**emper hæ Horæ clauduntur per *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium* (excepto Triduo ante Pascha) & si non jungantur cum Laudibus, nec alia Hora sequatur, in fine dicitur *Pater noster*, si privatim recitentur; nam publicè omnis hora separatim recitata, & terminata, per *Pater noster*, Antiphonam *Salve* &c. aut aliam, ac *Divinum auxilium* &c. finitur, ut in Rubricis §. 36. dicitur.

TITULUS V.

DE VESPERIS.

§. I.

De Initio.

I. **V**esperæ semper inchoantur à *Pater & Ave*. Versus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto ultimo Triduo Sacræ Hebdomadæ, & Defunctorum Officio.

§. II.

De Antiphonis.

6 6

I. Nun-

I. **N**Unquam omittuntur, etiam in Triduo S. Hebdomadae.

II. In Dominicis & Ferijs sumuntur ex Psalterio, in Festis ex Laudibus; de Communi Sanctorum, nisi propria in Proprio de Tempore, aut Proprio Sanctorum assignentur.

III. Tempore Paschali in Dominicis & Ferijs omnes Psalmi dicuntur sub una tantum Antiphona. In Festis vero cuilibet Psalmo subjungitur Antiphona, & in illius fine additur Alleluja, nisi jam antè in illa reperiatur. A Septuagesima usque ad Pascha, omittitur Alleluja, si Antiphonae curiam adjunctum sit.

IV. In Duplicibus integræ in initio & fine Psalmi dicuntur. Si Antiphona cum principio Psalmi conveniat, non repetitur initium, nisi Antiphonæ Alleluia subjungatur.

§. III.

De Psalmis.

I. **S**emper dicuntur quinque Psalmi, (solo Sabbato sancto excepto) qui in Dominicis & Ferijs sumuntur ex Psalterio, in Festis verò ex Communi Sanctorum, nisi alij in Proprio Sanctorum, aut de Tempore assignentur.

II. Clauduntur semper per *Gloria Patri*, exceptâ Festâ quintâ Cœnæ Domini, & die Parasceves. In Officio Defunctorum illius loco substituitur *Requiem*.

§. IV.

De Capitulo.

I. **N**unquam omittitur, nisi in Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & in Officio Defunctorum.

II. In Dominicis & Ferijs sumitur ex Psalterio; in Festis verò ex Communi Sanctorum, nisi pro utrisque aliud in Proprio de Tempore aut Sanctorum assignetur.

III. In fine subjungitur *DEO gratias*.

§. V.

De Hymno.

I. **S**emper dicitur, excepto Officio Defunctorum, & Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. S.

II. Sumitur in Dominicis & Feriis ex Psalterio; in Festis autem ex Communi Sanctorum, nisi alius in Proprio de Tempore aut Sanctorum pro utrisque assignetur.

III. Ultima Stropha variatur pro varietate temporis, excepto Hymno *Ave maris Stella*, & *Vexilla Regis prodeunt*, & quæ alio metro, quàm dimetro Jambo constant.

§. VI.

De Versu.

I. **S**emper dicitur, excepto Triduo ante Pascha. In ipsa Sverò Octava Paschatis dicitur illius loco Antiphona *Hac dies.*

II. In Dominicis & Feriis sumitur ex Psalterio; in Festis ex Communi Sanctorum, nisi alius in Proprio Sanctorum, aut de Tempore pro utrisque assignetur.

III. Tempore Paschali additur Alleluia.

§. VII.

De Antiphona ante Magnificat.

I. **S**emper dicitur, etiam Triduo ante Pascha. In Dominicis & Feriis sumitur ex Psalterio; in Festis ex Proprio vel Communi Sanctorum, vel Proprio de Tempore.

II. In Duplicibus dicitur integra, in reliquis Festis & Feriis inchoatur tantùm ante Canticum, & finito illo integra dicitur, exceptis Antiphonis majoribus, quæ à 17. Dec. usque ad 23. inclusivè dicuntur; hæ enim pariter ante & post Canticum integræ recitantur.

III. Tempore Paschali in fine additur Alleluia.

§. VIII.

De Cantico Magnificat.

I. **N**unquam omittitur. In fine semper additur *Gloria Patri*, excepto Triduo S. Hebdomadæ, ubi omittitur; & Officij Defunctorum, ubi loco illius dicitur *Requiem.*

§. IX.

De Precibus Ferialibus.

I. **D**icuntur hæ tantùm in Feriis Maioribus extra Tempus Paschale occurrentibus, quando de iisdem dicuntur *Vesperæ.*

§. X. De

§. X.

De Oratione.

I. Ante Orationem semper præmittitur *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi* ab ijs, qui nondum sunt Diaconi, excepto Triduo ante Pascha.

II. Nunquam omittitur Oratio.

III. In Dominicis sumitur semper ex Proprio de Tempore, in Fetiis accipitur Oratio Dominicæ præcedentis, nisi propriam habeant. In Festis ex Proprio vel Communi Sanctorum.

IV. Clauditur semper cum verbis *per Dominum*, aut *Qui tecum vivit*.

§. XI.

De Commemorationibus specialibus.

I. Fiunt hæ Commemorationes eodem ferè Tempore, & Ordine, quem supra in Laudibus observandum diximus, nisi quòd in Vesperis Festi primæ Classis nullafiat Commemoratio, Simplicis aut dici infra Octavam; in Vesperis Festi secundæ Classis etiam horum fiat Commemoratio.

II. Modum quod attinet, requirit is, ut, si Commemoratio fiat de sequenti, Antiphona & Versiculi sumantur ex primis Vesperis. Si verò fiat de præcedenti, ex secundis accipiantur. Quòd si Officium fiat in primis Vesperis de Festo v. g. Confessoris Pontificis, & aliud simile, de quo facienda sit Commemoratio, occurrat, tum Antiphona pro Commemoratione prima, uti & Versiculi ex Laudibus sumendi sunt. Si verò & tertium simile occurrat, Antiphona quidem ex secundis Vesperis; Versiculi verò, quia communiter ijdem sunt cum Versiculis, qui in Laudibus dicuntur, ex primo Nocturno accipiendi sunt, nisi & hi quoque jam dicti sint, tum enim ex secundo Nocturno sumi debent. Quòd si cum Festo principali de alio simili in secundis Vesperis facienda sit Commemoratio, tunc Antiphona & Versiculi ex Laudibus sumendi sunt, si quidem Versiculi diversi sint ab ijs, qui in secundis Vesperis sunt dicti; si autem (ut plerumque contingit) non sint diversi, ex primis Vesperis accipiendi erunt. Si verò tertia similis Commemoratio facienda sit, tum Anti-

phona

phona quidem ex primis Vesperis (si diversa sit) Versiculi vero si jam semel dicti sunt, ex primo Nocturno sumuntur, aut si hi quoque jam dicti sunt, ex secundo Nocturno. Scio, aliquos pro prima Commemoratione statim Antiphonam & Versiculos ex primis Vesperis, utpote, qui ordinariè sunt diversi ab ijs, qui in secundis Vesperis dicuntur, sumere, sed præterquam quòd etiam hæc interdum non sint diversæ, est hæc mutatio expressè contra Rubricas §. 9. n. 8. dicentes ex Laudibus sumendam esse Antiphonam, si de simili Festo in Vesperis primis aut secundis facienda sit Commemoratio. Quod si quarta facienda sit, tum pro Antiphona sumenda erit prima Antiphona primi Nocturni (quod idem etiam faciendum, quoties in alijs casibus eiusmodi Antiphona deest, ita ut etiam secunda & tertia ex primo Nocturno sumi possit) pro Versu autem Versiculi ex Nocturnis, qui necdum dicti sunt, ut in simili casu supra de Laudibus ex Gavanto & Arnaudo dictum est.

III. Ordo in his Commemorationibus à potiori idem quidem est cum eo, quem supra in Laudibus observandum dixi, dubium tamen non leve offert ipsum Breviarium, quod in tabula Concurrentiarum hæc verba in fine addit; *Cum plures sunt Commemorationes, servetur hic Ordo. De duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Octavam, de Feria Maiori, de Vigilia, de S. MARIA in Sabbato, de Simplici.* Ubi, cum Rubrica hæc dicit de Semiduplici ante diè infra Octavã, Commemorationem faciendam esse, videtur evertere & contradicere generali Regulæ à Rubricistis circa Commemorationes assignatæ, quòd scilicet de eo faciendã sit prius Commemoratio, quòd Vesperas saltem à Capitulo, atque adeò primam Orationem exigeret, si majus Festum, de quo sit ipsum Officium, abesset; cum ergo in concursu Semiduplicis Festi cum die infra Octavam hæc dimidias Vesperas à Capitulo, atque adeò primam Orationem ante Semiduplex exigat, meritò etiam primum in Commemoratione locum exigere videtur. Ob hanc rationem semper mihi videbatur, Commemorationem Octavæ in secundis Vesperis ante Semiduplicis Commemorationem faciendam esse; ad textum autem Rubricæ citatum facilè responderi posset, cum de concursu in Laudibus, & concursu in primis duntaxat Vesperis loqui,

loqui, cum ibidem etiam Vigilæ (de qua nihil fit in Vesperis) & B. MARIÆ in Sabbato ac Simplicis (de quibus nihil dicitur in secundis Vesperis) mentionem faciat; Laudibus autem & primis Vesperis semper Semiduplex precedat Octavam, cum hæc in Vesperis dividat eas cum Semiduplici sequente. Sed quia etiam pro secundis Vesperis clarum exemplum in festo S. Thomæ Cantuariensis habemus in quibus Commemorationem ante omnes Octavas facere jubemur, ideo fatendum videtur, Rubricam in citato textu universaliter locutam esse (maximè cum nullam distinctionem inter primas & secundas Vesperas faciat) atque adeò particularem hanc Rubricam generali derogare voluisse, ut sæpius facere cõsuevit. Atq; ita sentit etiam Gavant. l. 3. c. 1. n. 39. ubi allatū pro cõtraria opinione dubiū solvere conatū dicendo, in ratione Officij dividi Vesperas, eò quòd in hoc perinde, ut in Commemorationibus, dignitas attendatur, unde cum Semiduplex sit Festum, dies infra Octavam autem duntaxat continuatio Festi, meritò illius Commemorationis hujus Commemorationem facienda videtur. Sed hæc ratio est contra ipsum Gavantum, qui l. 3. c. 8. n. 22. ait, si die Octava cum Dominica privilegiata secundæ classis, & Festum primæ classis occurrat, in Vesperis prius Commemorationem de Semiduplici præcedente, quam Octava die faciendam esse, eò quòd Semiduplex dimidium Vesperarum occupat; ergo in tali casu non attenditur dignitas Officij, et utique dies Octava nobilior sit semiduplici Festo. Rectè ergo tota hæc diversitas in solam instituentium voluntatem & arbitrium conjicitur.

IV. Oratio quævis inchoatur ab *Oremus*, non tam clauditur, nisi sit ultima ex ijs, quæ dicuntur.

§. XII.

De Suffragiis communibus.

I. **F**iant hæc Suffragia eodem tempore, ordine, & modo quem in Laudibus observandum diximus, nisi quæ Antiphonæ & Versiculi, qui orationi præmitti solent, ex secundis Vesperis sumendi sint, nisi prius jam dicti sint, tunc enim ex Laudibus accipi debent; aut si hi etiam jam dicti non diversi sint, ex primis Vesperis.

II. Te

II. Reliquo tempore Paschali loco horum Suffragiorum Antiphona cum Versiculis & Oratione de Cruce, & quidem sola dicitur.

§. III.

De Clausula.

I. **I**N Choro clauduntur Vesperæ, si Completorium non sequatur, eodem modo, quo Laudes finiri supra dictum est. In privatis verò Vesperis post Versiculos, *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium* subjungitur tantum Oratio Dominica; vel si Completorium sequatur, etiam hæc omisâ statim dicitur *Iube Domine benedicere*. Si tamen post Vesperas aliud quodpiam Officium, vel Litaniæ sequantur, omitti debet Versus *Fidelium*, sicut supra tit. 2. §. 12. dictum.

TITULUS VI.

DE COMPLETORIO.

§. I.

De Initio.

I. **I**Nitium fit à petitione Benedictionis, recitatione Lektionis brevis, Versu *Adiutorium*, Oratione Dominica, Confessione, Absolutione, & Versiculis *Converte, DEVS in Adiutorium*, quæ tamen omnia (exceptâ Confessione & Absolutione) omittuntur in Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves.

II. Qui solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omisâ illis verbis *Tibi Pater, & vobis Fratres*; quando verò dicit *Misereatur*, aut *Indulgentiam dicat nostri, & nostrorum*, non *mei, & meorum*.

§. II.

De Antiphona.

I. **S**emper dicitur exceptis Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves. Neque unquam mutatur nisi tempore Paschali, ubi illius loco tria Alleluja dicuntur, quibus per Octavam Paschæ quartum additur.

II. Ab initio nunquam integra dicitur, sed tantum in fine Psalmorum.

Instruēt. II.

D

§. III. De

II. Te

§. III.

De Hymno.

I. **N**unquam omittitur, nisi à Triduo ante Pascha usque ad primas Vesperas Dominicæ in Albis exclusivè.

II. Ultima Stropha variatur pro variatione temporis quæ variatio faciendâ est in Completorio Feriæ sextæ, etiam si de B. Virgine in Sabbato non sint dictæ Vesperæ à Capitulo, sed tantum eius Commemoratio facta sit.

§. IV.

De Capitulo.

I. **S**emper dicitur, excepto Triduo ante Pascha usque ad Completorium Dominicæ in Albis exclusivè. Nunquam mutatur.

§. V.

De Responsorio brevi.

I. **D**icitur semper; præterquam à triduo ante Pascha usque ad Sabbatum in Albis exclusivè.

III. Tempore Paschali ante primum Versum dicitur duplex Alleluia, iterumque post illum Versum repetitur per parte Responsorij. Post secundum Versum verò additur tantum unum Alleluja.

§. VI.

De Antiphona ad Canticum Simeonis.

I. **N**unquam omittitur, exceptâ Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & Parasceves. Nunquam dicitur integrè in initio, sed nec variatur unquam, nisi à Sabbato sancto inclusivè (in quo propria habetur usque ad sequens Sabbatum exclusivè, ubi loco consueta Antiphonæ dicitur in fine Cantici Antiphona: *Hac dies*, non autem inchoatur ante Canticum).

II. Reliquo tempore Paschali, si consueta Antiphona *Salva nos* dicitur, additur in fine unum Alleluja.

§. VII.

De Cantico Simeonis.

I. **S**emper dicitur, etiam in Triduo S. Hebdomadæ.
II. Semper clauditur per *Gloria Patri*, exceptâ Feriâ V. Cœnæ Domini, & Parasceves.

§. VIII. De

§. VIII.

De Precibus.

I. **S**emper dicuntur, exceptis Duplicibus, & diebus infra Octavam. Omittuntur etiam, quando dies octava incidit in Dominicam privilegiatam. Gavant. *sect. 3. c. 8. n. 13.* ut supra quoque ad Primam §. 8. notatum est.

II. In Versibus tempore Paschali non additur Alleluia.

§. IX.

De Oratione.

I. **S**emper dicitur, excepta Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & die Parasceves.

II. Subjunguntur illi Versus consueti *Dominus vobiscum, Benedicamus, benedicat.*

§. X.

De Antiphonis B. Virginis.

I. **S**emper dicuntur, præterquam in Feria quinta & sexta Sacræ Hebdomadæ.

II. Variantur pro diversitate temporis, prout in quavis Antiphona post Completorium notatur. Dubitari tamen potest de Antiphona *Alma Redemptoris*, an si Purificationis Festum ob Dominicam privilegiatam differatur, ut hoc anno factum est, etiam Antiphona illa transferri debeat? & respondet Gavantus *sect. 5. c. 22. n. 7.* affirmativè, eò quòd in tali casu semper adhuc de partu B. Virginis fiat mentio; quam ob causam ait citatus Author, si Purificatio alicubi Octavam habeat, dictam Antiphonam per totam Octavam dicendam esse, eò quòd omnes Octavæ dies pro uno die reputentur.

III. In fine subjungitur Versus *Divinū auxilium, & Pater, Ave, Credo.* Præter hæc ex præscripto nihil dicitur; aliqui tamen vel Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, vel Orationem sequentem addunt. *Sacrosancta & individua Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESU Humanitati, beatissima & gloriosissima, sempérque Virginis MARIÆ fecunda integritati, & omnium Sanctorum Universitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum per infinita secula seculorum. Amen.*

Beata Viscera MARIÆ Virginis, qua portaverunt aterni Patris Filium. Et beata ubera, qua lactaverunt Christum Dominum. Pater noster. Ave MARIA. cui Orationi Leonis remissionem culparum in Officio recitando commissarius indulfit.

P A R S I I I .

DE CÆREMONIIS IN
OFFICIO DIVINO PUBLICO
CANTATO OBSERVANDIS.

HActenus, quæ ad privatam Horarum Canonicarum citationem pertinent, explicata sunt. Restat nunc, quoniam non pauci Sacerdotes ad Horas easdem publicè, & in Choro recitandas obligantur, pro uniformitate servandæ etiam, quæ Cæremoniæ tunc observandæ sint, breviter in hac quarta parte indicetur. Antequam autem hoc præstatum, nôsse velim Lectorem, quòd omnia, quæ hîc dicentur ex Cæremoniali & praxi Romana fuerint desumpta, quæ cum sit Matrix & Magistra Ecclesiarum, meritò illi potius quàm aliis Ecclesiis se accommodant, qui ad peculiare Locum vel Ordinis consuetudines (quas non tolli à Cæremoniali Romano, neque à Rubricis Breviarij, teste Gavanto s. c. 2. n. 1. sæpius declaravit Sacra Congregatio, modò non ita pugnent cum universa Ecclesiâ, ut peritiorum iudicio minus laudabiles videantur) non obligantur.

T I T U L U S I .

DE CÆREMONIIS IN MATUTINO
OBSERVANDIS.

I. **E**T si Matutinum, prout ordinariè in locis Chorum habentibus cantatur, nunquam in Pluviali cantari debet; eò quòd Pluvialis usum Rubricæ Missalis tit. 19. n. tantùm in Vesperis & Laudibus concedant; quia tamen aliquibus Ecclesiis Chorum ordinarium non habentibus est, ut aliquoties in anno Matutinum solemniter, perinde

ac Vesperæ, cantetur, ideo in tali casu tolerari potest hæc consuetudo, & Pluvialis usus adhiberi, & tam in vestitu, quàm egressu Officiatoris, & accessu ad Altare, & locum sibi præparatum eadem observari, quæ in Vesperis solemnibus paulò post tit. 3. observanda dicentur.

II. Ubi ergo ad locum sibi destinatum venerit Officiator, stans capite detecto versùs Altare dicit secretò, *Pater, Ave, Credo*. Quibus completis signans sibi pollice dextræ manus labia parvo signo Crucis, altiori voce cantat: *Domine labia mea*. deinde *DEVS in Adiutorium*: quod cum dicit, facit sibi signum Crucis à fronte ad pectus, & sic permanet stans, donec per Chorum cantatum sit Invitatorium cum Psalmo *Venite Exultemus*: & Hymnus. Dum cantatur in Psalmo: *Et procidamus ante DEVM*: vel in loco suo, vel, si commodè id fieri non possit, in infimo gradu Altaris, si propinquum sit, flectit cum omnibus aliis (nisi consuetudo habeat, ut profundè tantùm se inclinet) & ad verba: *Ploremus ad Dominum*: iterum surgit. Cum cantatur Versiculus: *Gloria Patri*: aut etiam in Hymno nominatur SS. Trinitas, profundè se inclinat, & ad *Sicut erat* iterum se erigit.

III. Intonatâ Antiphonâ primâ (vel à se, prout Cæremoniale Episcoporum l. 2. c. 6. præscribit: vel ab alio, prout alicubi mos habet) sedet, donec tres Psalmi primi Nocturni cum Antiphona ultima fuerint cantati; tum enim ubi Versiculus fuerit inchoatus, & ipse cum omnibus aliis surgit, intonat *Pater noster*, & reliquam secretò dicit. Interea verò is, qui lectionem primam dicturus est, cum Cæremoniaro (aut ejus Substituto) ad legile accedit, & caput profundè versùs Officiatorem inclinans canit, *Iube Domne, non Domine benedicere* (nisi sit Episcopus, qui Officiatoris munere fungitur, tunc enim ob dignitatem Cæremoniale l. 2. c. 5. *Iube Domine* cantari præcipit) cui Officiator adhuc stans benedicit, dicitque *Benedictione perpetua*, dictoque *Amen* à Choro, sedet. Lector verò interea Lectionem distinctè & devotè in tono consueto cantat, ac in fine ad *Tu autem Domine* (non *Domne*, quia ad DEUM hæ voces diriguntur) genuflectit. Cui Chorus respondet: *DEO gratias*: & mox Responsorium subjungit.

IV. Finito Responsorio, dum, qui secundam Lectionem

dicit, iterum canit: *Iube Domne benedicere*: ipse quoque Officiator iterum surgit, & detecto capite Benedictionem impertitur; quod & similiter ad reliquas Lectiones observatur. Circa finem verò tertij Nocturni pluviale (si priùs eodem non sit indutus) coloris temporis & officio convenientis accipit, & duobus Acolythis candelabra, alijs duobus verò librum portantibus, & coram ipso exhibentibus, ut in Vesperis, stans nonam Lectionem præmissis Versu *Iube Domne benedicere* (cui proximus Assistens benedicit dicens: *Ad Societatem &c.*) cantat, & eâ finitâ præintonat Hymnum *DEVM laudamus*, genuflectens tamen ad Versum *Te ergo quasumus*: quo finito, si separetur Matutinum à Laudibus, canit *Dominus vobiscum*, Orationem diei, repetitòque *Dominus vobiscum*, postquam Cantores *Benedicamus Domino* cecinerunt, unâ cum Ministris à Choro discedit.

TITULUS II.

DE CÆREMONIIS IN LAUDIBVS ET MINISTRIBVS HORIS OBSERVANDIS.

I. **E**T si Laudes in Choro sine legitima causa à Matutinis separari non debeant; si tamen ex tali causa separari eas necesse sit, in ijsdem cantandis eadem prorsus Cæremonia observandæ erunt, quæ in Vesperis sequenti titulo explicabuntur, cum quoad recitationem Psalmorum, Capitulorum, Hymnorum, Antiphonarum, incensationem plebiscum Vesperis conveniant.

II. In reliquis minoribus Horis nulla ordinariè solemnitas adhibetur; sed id solùm ad Officiatorem pertinet, ut *Pater & Ave* (aut etiam *Credo* in Prima) secretò dicat, postea *DEVS in Adiutorium*, & post Psalmos & Antiphonam etiam Capitulum, ac tandem post Versiculum Responsorio breviter subjunctum *Dominus vobiscum*, Orationem, ac repetitò *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino* cum *Fidelium animis* aut interjunctis in Prima Versibus canat; uti & Versiculum cum Oratione ad Antiphonam B. Virginis, quâ omnis Hora terminata clauditur, pertinente.

TITULUS

TITULUS III.

DE CÆREMONIIS IN VESPERIS SOLEMNIBVS OBSERVANDIS.

Quoniam hæc frequenter, ubi nullæ aliæ Horæ solemniter cantari consueverunt, in Ecclesiis decantantur; ideo paulò exactiùs quoque de earum Cæremoniis est agendum; maximè quia ea, quæ de illis modò dicentur, in Laudibus quoque & aliis Horis solemniter cantari alicubi solitis, cum proportione observanda sunt. Quia verò diversi Ministri in ejusmodi Vesperis decantandis occurrunt, ideo per diversos quoque paragraphos eorum officia sunt indicanda.

§. I.

De Cæremoniis ab Officiatore observandis.

I. Quando Campana maxima pulsatur, Officiator induit Amictum, Albam, Cingulum, Stolam in modum Crucis ante pectus, & Pluviale, ubi consuetudo id habet, quam Gavantus *f. 10. c. 3. num. 8.* tolerari posse ait; alioqui enim juxta Cæremoniale Romanum Episcoporum *l. 2. c. 2.* supra solani Cottam sine Stola induendum esset. Dum verò inchoatur omnium Campanarum pulsus, descendit ex gradu cum Assistentibus, facit Cruci profundam reverentiam, & vertens sese, dum alij ipsi faciunt reverentiam, ipse pro eorum dignitate respondet, & mox sonantibus adhuc omnibus Campanis & Organo, procedit, tecto capite, manibus junctis, dextro pollice super sinistrum posito, medius inter duos Assistentes.

II. Cùm pervenerit ad Altare, sonantibus adhuc Campanis, & Organo, tecto capite genuflectit, & flexis genibus parumper orat, (etiam tempore Paschali, uti expressè habet Cæremoniale Romanum) ac mox surgens facta genuflexione ad sedem se confert, ubi sedet parumper, tecto capite, donec Organum & Campanæ fileant, & tum demum dato signo à Cæremoniarario surgit, dat Cæremoniarario biretum, & junctis atque ad aram conversis manibus, pollice dextro super sinistrum posito recitat totum *Pater & Ave* secretò, ac postea se signo Crucis signans, tangendo frontem

canit DEVS, signando pectus. *in Adiutorium*, ducendo manum ad finistrum humerum. *meum*, ad dextrum. *intende*; & sic junctis iterum manibus perseverat. Dum canitur *Gloria Patri*, caput & humeros versùs Altare inclinat, donec inchoetur: *sicut erat*, vel certè semel cantatum sit *Spiritui sancto* tunc enim se erigit, & ubi semel in primo Psalmo cantatum fuerit *sedes à dextris*, sedet, & accepto birreto à Cæremoniaro, caput tegit.

III. Quando in fine Psalmorum canitur *Gloria Patri* caput & humeros versùs Altare inclinat usque ad *Sicut erat*. Idem aliqui faciunt ad versus: *Sit nomen Domini: Sanctum & terribile nomen Domini. Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Sed quia neque Cæremoniale Episcoporum, nec Rubricistæ mentionem faciunt, poterit quis se Consuetudini locorum accommodare.

IV. Finitis omnibus Psalmis, & Organi sono surgit, detractum è capite birretum Cæremoniaro ad dextram suam retrò adstanti porrigit, junctisque manibus Capitulum canit ex libro. Quòd si Hymnus sit *Veni Creator*, aut *Ave maris Stella* debet mox ab initio intonationis genibus supra proximum gradum Altaris flexis manere, donec prima Stropha absolvatur; tunc enim facta reverentia ad sedem redit. Si verò Hymnus incipiat: *IESV nostra Redemptio. Lucis Creator. O Lux beata Trinitas. DEVStuorum militum. Christe Redemptor.* elevat manus, & caput versùs Altare inclinat.

V. Hymno absoluto, & cantato per Cantoriam Versiculo, accipit birretum, & tecto capite sedet, dum cantatur Antiphona. Post inchoatum *Magnificat* à Cantoria (aut si consuetudo sit, ab ipsomet intonato) dat birretum Cæremoniaro, signat se signo Crucis à fronte ad pectus, & junctis manibus ad Altare vadit per longiorem viam, ascendit ad Altare, illudque osculatur, & stans in cornu Epistolæ more solito imponit thus in thuribulum, incensat Crucem, Reliquias, & Altare. Post incensationem reddit thuribulum primo ex Assistentibus in cornu Epistolæ, & procedens in medium, factâ Cruci inclinatione descendit in planum ante medium Altaris, & faciens genuflexionem, ordine, quo venit, redit ad suum locum, ibique stans invitat ad honorem incensationis illum, cui post ipsum facienda est incensatio, inclina-

inclinatione capitis, & ubi incensatus fuit, incensanti capitis inclinatione responder. Si Episcopus addit, non ad suam sedem, sed ad Altare in cornu Epistolæ stans duplici ductu incensatur.

VI. Finito *Magnificat*, dum canitur Antiphona vel Organum pulsatur, potest sedere recto capite, donec Antiphona aut Organi sonus finiatur, tum surgit, dat birretum Cæremionario, jungit manus, canit *Dominus vobiscum*, & Orationem more solito, & solemnī cantu. Cantato *Benedicamus* manibus junctis, & elevatis, submissiore voce canit. *Fidelium anima*, & interjecta Oratione Dominica. *Dominus deus vobis*, eodem sono & modo, & postquam Chorus respondit, progreditur ad medium gradus infimi, ibique pro ratione temporis, manibus junctis, stans aut genuflectens manet, donec Antiphona B. Virginis absolvatur; quā finitā, si flectit, canit adhuc flectens Versiculum, deinde surgit, & stans cantat *Oremus*, ac Orationem in suo proprio tono, & tum iterum flectens (si prius ad Antiphonam flectebat) in fine addit *Divinum auxilium*, & statim surgens facit genuflexionem, & accepto birreto tegit caput, ad Sacristiam revertitur, ita tamen, ut hanc primus ipse ingrediatur, Crucique reverentiam faciat.

VII. In Vesperis minùs Solemnibus induitur superpelliceo & pluviali; non sedet, quando venit ad suum locum; reliqua verò omnia, uti in Solemnibus Vesperis peragit.

§. II.

De Officio Assistentium.

I. Quando Campana maxima pulsatur, induunt Cottas, & Pluvialia sine Stola, nisi alicubi consuetudo sit, ut super Cottas etiam amictum induant ad collaria tegenda.

II. Dato signo ad egressum descendunt de gradu cum Officiatore, faciunt Cruci primùm, deinde Officiatori reverentiam, & cooperto capite anteriores pluvialis fimbrias, dexterā sinistrā, sinister dextrā elevantes, alterā pectori admotā eundem comitantur.

III. Ubi ad Altare pervenerint, genuflectunt, parumper orant genibus flexis, & surgentes, iterumque genuflectentes, Officiatore abeunte ad sedem (cui transeunt caput incli-

nant) ipsi quoque ad sedilia sua se conferunt, & stantes cum Officiatore *Pater & Ave* recitant, & Cruce se signant.

IV. Sub Psalmis sedent, caputque tegunt, illud tamen aperientes cum humeris inclinant profundè versùs, Altaris quoties à Cereemoniario signum datur.

V. Finitis Psalmis, dato signo surgunt, faciunt reverentiam, & ad Officiatorem accedentes ad lævam illius consistunt, capitis profundâ inclinatione priùs facta; tum unus Assistentibus librum explicat, & postquam Capitulum cantatum fuerit, factâ hymni intonatione, profundè se inclinant, & ad sua sedilia recedunt nisi fortè ad Hymnum *creator Spiritus*, aut *Ave maris Stella*, cum Officiatore primum gradum flectendum sit, tum enim unus à dextris, alter à sinistris cum ipso genua flectunt.

VI. Finito hymno sedent tecto capite, & inchoato *Magnificat* surgunt, birrera in sedilibus ponunt, signo Crucis signant, transeunti Officiatori se inclinant, & ad inferiorem gradum cum eo accedentes genuflectunt, ascendunt ad Altare, & is, qui à dextris est, naviculam pro thure imponendo cochlear cum hujus & manûs osculo porrigit, iterumque accipit, sub incensatione ambo simbriam pluvialis attollens eundem incensantem comitantur, & quoties ille caput Crucis inclinât, vel genuflectit, toties illi quoque genuflexionem faciunt. Finitâ verò incensatione primus eorum in cornu Epistolæ thuribulum ab eo accipit, & mox Thuriferario porrigit. Tum cum Officiatore ad medium Altaris accedentes caput Crucis inclinant, & mox ad planum descendentes ibidem genuflexionem faciunt, & secundus quidem ad suum locum recedit, primus verò à Thuriferario thuribulum accipiens, triplici, aut si Episcopus adsit, duplici tantum incensatu Officiatorem incensat, factâ antè & post profundâ inclinatione. Quòd si aliqui in Choro incensandi sunt: eorum incensationem ipse etiam duplici ductu (nisi dignitas requirat) & capitis inclinatione antè & post præmissa genuflexione, redditòque Thuriferario thuribulo ad suum locum se confert, ubi capitis inclinatione suum socium ad incensationem invitans duplici ductu à Thuriferario incensat.

cur, modicâ capitis inclinatione eidem respondens. Quod ipsum etiam facit secundus Assistens, dum incensatur.

VII. Finito *Magnificat*, si Officiator sedeat, ipsi quoque sedebunt; postea finitâ Antiphonâ, aut sono Organi accedunt post alios Ministros ad Officiatorem, eique assistunt sicut ad Capitulum, ac primus Orationem ostendit.

VIII. Si *Benedicamus* ab ipsis canendum sit, dictâ ultimâ oratione ad medium Altaris accedunt, & ibi stantes *Benedicamus* canunt, moxque ad sedilia redeunt. Si autem à Choro cantetur, manent apud Officiatorem, donec dicto *Dominus vobiscum* ipse quoque ad Altare accedat; tunc enim ante ipsum euntes, reverentiâque transeunti facientes, factâ Altari reverentiâ stant, aut flectunt à dextris & sinistris Officiatoris, quo tamen ad Orationem surgente ipsi non surgunt, sed expectant, donec *Divinum auxilium* dixerit; tum enim surgunt, faciunt reverentiam, primus Officiatori birretum porrigit; & ipsi quoque sua birreta capiunt, reguntque, & tandem eodem modo & ordine, quo venerunt, ad Sacristiam redeunt; ita tamen, ut ad Sacristiam venientes prius Officiatorem, cui transeunti caput inclinabunt, transire sinant; tum ipsi sequantur, & in Sacristia Cruci & Officiatori reverentiam debitam faciant, vestesque sacras exuant.

§. III.

De Cæremoniarij Officio.

I. **H**ora competente linteatus videt in Sacristia, an omnia sint parata pro Officiatore & Assistentibus. Quærit insuper in Manuali, seu Libro Capitulum & Orationes, notatque singula signaculis.

II. Dum vestiti omnes in Sacristia consistunt, ipse post Officiatorem stat, & ubi hic descendit, cum ipso profundam Cruci & ipse reverentiam facit, ac ultimus post Officiatorem aperto capite, manibusque junctis egreditur.

III. Ubi ad Altare ventum est, à tergo Officiatoris consistens genuflectit, & eundem sequitur, atque ad ejus dextram se sistens, ubi Organum siluerit, consueta capitis inclinatione dat signum incipiendi. Tum ab Officiatore birretum accipiens, & super scamnum proximum collocans, vel dextrâ tenens, sinistrâ dextram pluvialis partem elevat. Recitans
dein.

deinde cum Officiatore *Pater & Ave* signo Crucis se signat. Dum canitur *Gloria*, monet capitis inclinatione ad profundam inclinationem faciendam (quod idem etiam facit singulos Psalmos, & quando cantatur *Sanctum & terribilem* *Sit nomen Domini &c.* Tandem ubi semel cantatum est *sedet à dextris*, birretum Officiatori porrigit, & factâ eidem reverentiâ ad sedem suam se confert.

IV. Sub finem ultimi Psalmi surgit, & per hoc Cottam monet ad candelas accendendas. Dum canitur *sicut erat* prodit in medium, non tamen longè à suo loco, & dat fandi signum: tum accedit ad medium plani Altaris, & factâ reverentiâ ad Officiatoris dextram se sistit, profundâ capitis inclinatione prius illi reverentiam exhibens. Finito Organosono accipit birretum ab Officiatore, illudque finito Hymno iterum porrigit.

V. Ad initium Cantici *Magnificat* surgit, accipit birretum ab Officiatore, signat se Crucis signo, & sequitur Officiatorem ad medium Altaris euntem, ibique à tergo illius sistit, & manet, donec redeat. Dum incensatur, respondet incensanti modicâ capitis inflexione. Finito Cantico reddit birretum Officiatori, si vult sedere, iterumque eo surgens accipit, & post cantatum *Dominus deus nobis*, comitatur illius ad planum Altaris, ac post finem Vesperarum birretum illius Diacono porrigit, & ordine, quo egressus est, ad Sacristiam redit; ita tamen, ut, ubi ad Sacristiam venit, prius Assistentes eam introire sinat, & in ingressu Crucis & Officiatoris reverentiam faciat.

§. IV.

De aliorum Ministrorum Officiis.

I. **S**ubstitutus ante initium Vesperarum librum defert in Chorum, & collocat supra Cancellos, deinde circumspicit, an omnia sedilia suo loco & ordine sint disposita, candelabra accensa, & justo numero ac ordine posita. In exitu per Sacristiam ipse Ceroferarios solus sequitur. Sedet à dextris primi Assistentis. Dato post Psalmos signo ad fandum porrigit librum Acolytho vicino ex Majoribus. Dum Capitulo absoluto cantatur *Deo gratias*, comitatur Thuriferarium in Sacristiam, & reducit, dum cantatur *Antiphona*

tiphona ad *Magnificat*. Pari modo peractâ thurificatione cum ducit, & reducit.

II. *Thuriferarius* ante initium Vesperarum videt, ut ad manum sit thuribulum, navicula, thus, prunæ, & forceps. In egressu primus est, & sine navicula & thuribulo incedit. In Presbyterio sedet à sinistris secundi Assistentis. Finito Capitulo accedit ad Sacristiam, & paulò ante *Magnificat* cum thuribulo & navicula redit, offert more solito Officiatori thuribulum pro thure imponendo, & dat postea clausum primo Assistenti. Peractâ incensatione Altaris accipit à primo Assistente in cornu Epistolæ thuribulum, illudque eidem reddit, ubi Officiator ad suam sedem redierit, simulque fimbriam dextram pluvialis incensantis elevat. Mox recipit thuribulum, & nisi juxta consuetudinem primus ex Assistentibus id faciat, præmissis debitis reverentijs eos, qui in Choro sunt, incensat, duplici ductu (nisi dignitas triplicem requirat) inclinatione capitis antè & post præmissa. Post hos primùm Assistentes pariter duplici ductu, uno verò Cæremoniariarum incensat; reliquos autem Ministros à dextris simul omnes salutatur modicâ reverentiâ, capite parùm inclinato, & quasi in gyrum ducto, & thurificat singulos simplici ductu, sed sine mora, & per modum unius, eademque ratione mox etiam eos, qui à sinistris sunt, thurificat. Denique populum modicâ inclinatione antè & post facta, priore quidem à sinistra ad dextram, posteriore à dextra ad sinistram caput movendo, triplici ductu abrupto, hoc est, in medio, à dextris, seu ex parte Evangelij, & à sinistris, seu ex parte Epistolæ stans ferè in medio Presbyterij, vel si proftet SS. Sacramentum, extra Cancellos in latere Evangelij. Quòd si *Magnificat* ad finem vergat, incensatione nondum finitâ ad *Gloria* hæc abrumpenda erit, stabitque ipse conversus ad aram cum profunda capitis inclinatione. absolvet autem sub *sicut erat*. Si nec ad *Dominus vobiscum* absolvisset incensatione, omnino cessat. Peractâ verò incensatione, thuribulum in Sacristiam refert, & mox regressus in suo loco post genuflexionem consistit. In ingressu iterum primus alios antecedit.

III. *Ceroferarij* curant, ut ante initium candelabra candelis accensis instructa habeant. In egressu sequuntur thuriferarium candelabra portantes. Ubi ad Altare ventum est, ad

cornua

post Thuriferarium sedent. Dum Officiator ad sedem suam se confert, duo Majores in vicem legis cum libro stant ante Officiatorem vultibus ad se mutuo conversis. Dicto *siue erat*, ad sua loca redeunt, factis, ubi oportet, reverentijs. Sub finem ultimi Psalmi, medij duo Cottati surgunt, birretâ in scamnis deponunt, factâque in medio genuflexione, accipiunt virgas, quisque ex sua parte, in quarum summitatibus sint parvæ candelæ, & cum iisdem utraque manu gestatis, ita ut virgarum summitas versùs Altaris medium utrinque sit pariter inclinata, accedunt extra cornua graduum ad Altare, & accensis ibi parvis candelis modicâ corporis inversione accendunt candelas Ceroferariorum, & in magnis candelabris, postea virgas ad suum locum deferunt, easque parvis ibi candelis extinctis suspendunt, & ad suas sedes redeunt attendendo, ut pari passu incedant, simul virgas ad extremas Altaris candelas admoveant, simul extinguant, & accendant, tergum Altari vel Officiatori non obvertant, & ad sua loca perveniant antè, quàm reliqui surgunt. Finitis Psalmis, dato signo ad surgendum, Acolythus major accipiens à Substituto librum, portat eum supra pectus, accedit cum Socio post Ceroferarios ad Officiatorem, ibique ita stantes, ut tergum Altari non vertant, capitis profundam inclinationem faciunt, & dum ille Capitulum canit, librum tenent, absolutoque Capitulo, factâ ad Hymni intonationem reverentia recedunt iterum, & librum supra Cancellos ponunt. Ubi ante inchoatum *Magnificat* Thuriferarius cum thuribulo advenerit, duo minimi Acolythi utrinque ad cornua Altaris accedunt, simulque cum Thuriferario genuflexionem facientes ascendunt ad Altare, & in extremitatibus velum conduplicando, Altaris tabulam discooperiunt dimidiatam, decorè tamen, & simul, factâque iterum ad cornua genuflexione ad sua loca redeunt. Peractâ verò omnium, etiam, qui in Choro sunt, incensatione, iterum accedunt cum solitis genuflexionibus, atque Altare cooperiunt. Finito *Magnificat* duo Acolythi medij Candelas in Candelabris majoribus extinguunt. Majores verò librum ferentes ad Officiatorem, sicut ad Capitulum, accedunt, nec ante dictum secundò *Dominus vobiscum* discedunt, librumque supra cancellos ponunt. Vergente ad finem Antiphona B. Virginis, iisdem accedunt ad Officiatorem

ex utro-

ex utroque cornu, & supra primum gradum flectentes, conversis sibi invicem faciebus, librum tenent, donec orationem absolverit.

V. His omnibus Ministris, in Vesperis communes sequentes Cæremoniæ. Ante egressum faciunt omnes Crucem primùm, postea Officiatori profundam reverentiam. Egre-
diuntur detecto capite, dimissis oculis, manibus tenentes ante pectus pileos quadratos, gravi incessu, selqui passum stantes tam à præcedentibus, quàm sociis, Officiatori, quæ-
ties apud ipsos transit, caput inclinant. Sub Psalmis vel Cantico, quoties à Cæremoniario monentur, caput detegunt profundè, illud cum humeris versùs Altare inclinant, usque dum iterum signum elevandi à Cæremoniario detur. Si vero Officiator cum Assistentibus sub Hymno vel Antiphona, in accessu ad Altare & recessu genua flectat, eidem se & accommodant. Quando sub Cantico incensantur à Thurificariario vel Cæremoniario, capitis inclinatione Thurificariario respondent, & mox simili inclinatione proximum incensandum invitant. In ingressu ad Sacristiam eundem ordinem in egressu observant; si tamen ad januam Sacristiæ venerint ibidem consistunt, & duas lineas rectas facientes Officiatori Assistentibus & Cæremoniario honorem primæ ingressus relinquunt, & tùm primùm Ceroferarij, ac reliqui ingressus, ac in linea recta stantes, Cruci profundam faciunt reverentiam, postea Officiatori, juvant Assistentes in processus mentis exuendis, sicque ipsi etiam tandem suas Cottas imponunt.

VI. Quando quatuor duntaxat adhibentur Acolytum, tum medij duo præter suum Officium etiam Majorum Officium assumunt, & librum ad Officiatorem deferunt, tenentque. Si verò duo duntaxat adhiberentur, hi omnium Officium suscipere debent. Idem circa Assistentes observandum est, scilicet, si hi non adhibeantur, Cæremoniarius & Substitutorum Officium suppleant, maxime in incensatione

ad *Magnificat* fieri solita.

* * *

TITULUS IV.

DE CÆREMONIIS IN COMPLETORIO
OBSERVANDIS.

AD Completorium nunquam Officiator Pluviali uti debet (quia hoc in solis Laudibus & Vesperis usurpandum est, ut supra ex Rubricis Missalis dictum est) si tamen alicubi usus illius per consuetudinem introductus est, poterit retineri, maximè, si immediatè post Vesperas, in quibus Pluviale adhibitum fuit, cantetur.

II. Ad Officiatorem, si Completorium separatim à Vesperis cum aliqua solemnitate canatur, spectat, ut post accessum ad Altare, debitamque reverentiam factam, ad sedem ordinariam se conferat, ibique, ubi Cæremoniarius, vel alius ex Ministris: *Iube Domne benedicere*: cantaverit, ipse per verba: *Noctem quietam &c.* Benedictionem impertitur; mox Versum *Adiutorium* canat, & ubi *Pater noster* secretò dixerit, Confessionem mediâ voce recitet, & ubi Chorus quoque eandem Confessionem recitaverit, eodem tono Absolutionem dicat, & tum altiori & usitata voce *Convertite nos*, ac *DEVS in Adiutorium* canat, uti & finito Hymno Capitulum, & post cantatum Canticum Simeonis, & sequentem Antiphonam, Orationem *Visita* cum antecedentibus & subsequentibus Versibus.

III. Antiphona de B. Virgine semper cantatur, etiam si aliud quid, v. g. Litanæ sequantur; quia, cum per Completorium terminetur totum Officium, meritò etiam convenientem clausulam habere debet, qualis est Antiphona B. Virginis. Gavant. l. 5. c. 22. n. 15.

IV. Si Ritu Solemniore cantetur, potest adhiberi Organum ad Psalmos, Hymnum, & Canticum, & Antiphonam B. Virginis; Incensatio tamen Altaris ad Canticum nullatenus fieri debet, uti Cæremoniale Episcoporum l. 2. c. 4. monet. Corsetus c. 18. n. 2. etiam minorem numerum luminum adhibendum putat in Completorio, quàm in Vesperis; sed hoc intelligendum videtur, si non solemniter, nec immediatè post Vesperas cantatur; nec enim conveniens videtur, ut lumina, quæ pro Vesperis accensa sunt, ad principium Comple-

Instruct. II.

E

pletorij

pletorij extinguantur, nisi fortè alicubi consuetudo id faciendi invaluerit, tunc enim retineri poterit.

TITULUS V.

COMPENDIUM RITUUM IN TOT
OFFICIO OBSERVANDARVM
COMPLECTENS.

Cùm in prima Instruktionẽ de SS. Missæ Sacrificio ritè offerendo post explicatas singulas Missæ partes brevẽ Compendium, quo omnes Cæremoniæ in Missa observandæ in certas Classes dividebantur, subjunctum fuerit ad memoriam Tironum juvandam; placet etiam in hac Instruktionẽ idem subsidium offerre, & singulos Ritus, qui in Officij divini persolutione, tum ex præscripto Rubricarum, tum ex Cæremonialis Episcoporum directione observandæ sunt, brevẽ Compendio complecti; in quo tamen de publica Officij divini recitatione potissimùm sermo erit; nam in privata recitatione, etsi valde deceat, ut, quantum fieri potest, pariter ejusmodi Ritus observentur, nemo tamen ad illas ullâ lege adstringitur. Ad sex autem ferè classes, omnes hi Ritus, seu Cæremoniæ revocari possunt, videlicet ad Corporis inclinationem, Stationem, Sessionem, Manuum Cæremonias, Osculum Altaris, & Incensationem Altaris, de quibus nunc singulis breviter agendum.

§. I.

De Corporis Inclinationibus.

Quatuor ferè diversæ Corporis inclinationes in Vesperis præscribuntur, nempe utriusque genu inflexio, unius tantum genuflexio; profunda Corporis inclinatio, solius Capitis inclinatio.

Genuflexio utroque genu facienda est.

I. In accessu ad Altare, si SS. Sacramentum publicè expositum proftet.

II. Ad Verba: *Adoremus, & procidamus*: in Psalmo *Venite* post Invitatorium, juxta Cærem. Episc. l. 2. c. 6.

III. Ad *Te ergo quasumus* in Hymno Ambrosiano. *Ibid.*

IV. Ad

IV. Ad Preces Feriales in Laudibus & reliquis Horis; item in Officio Defunctorum, si Preces ibi præscriptæ dicuntur. Rubr. Breviar.

V. Ad primam Stropham Hymnorum *Veni Creator, & Ave maris Stella.* Cærem. Ep. l. 2. c. 1.

VI. Ad *Tantum ergo Sacramentum*: si SS. Sacramentum super Altari expositum est. Ibid. l. 1. c. 28.

VII. Ad Antiphonas B. Virginis, quando dicuntur extra Vesperas primas aut secundas, aut alias Horas Dominicæ, & extra tempus Paschale. juxta Rubric. Brev. tit. 36. n. 3.

VIII. Ad *Pater noster, Ave, Credo*, in fine Completorii.

IX. In Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus ad Preces. Gav. f. 10. c. 1. n. 7.

X. Ad Litanias & Orationes earundem; excepto Hebdomadario seu Officiatore, qui stans Orationes dicere debet, Ibid.

Genuflexio uno genu facienda est.

I. In accessu & recessu sub Altari, ubi Sacramentum clausum est.

II. Ad incensationem Altaris SS. Sacramentum clausum continentis, quando accedit, vel recedit; & ante, quàm Incensationem incipiat.

III. Quando ad simile Altare pro Oratione ad Antiphonam B. Virginis canendam accedit.

Profunda Corporis inclinatio facienda est.

I. Quando in Sacristia à loco Paramentorum recedit, iterùmque accedit.

II. Quando ad Altare, ubi non est Sanctissimum Sacramentum clausum, fit accessus vel recessus.

III. Quando Incensatio peragitur, ante incensationem Reliquiarum; & si non adest SS. Sacramentum, etiam ad initium incensationis, & quodocunque ad Altare accedit, vel ab eo recedit.

IV. Quando Ministri coram Officiatore transeunt, vel ille coram ipsis. Cærem. Episc. l. 2. c. 3.

V. Quando in Matutino vel Completorio Benedictio petitur per *Iube Domne benedicere.*

VI. Ad *Confiteor* in Prima & Completorio.

Capitis inclinatio facienda est.

- I. Ad *Gloria Patri* per omnes Horas, ubi caput profundè inclinandum esse monet Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1.
- II. Ad SS. Nomina JESU, & MARIÆ, & Sanctorum de quibus fit Officium, vel *specialis* commemoratio.
- III. Ad Stropham ultimam Hymnorum, in quibus Serosanctæ Trinitatis fit mentio.

§. II.

De Statione.

- I. HÆc præscribitur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum extra preces Feriales, aut Officij Defunctorum, aut super Officij.
- II. Ad Horarum initia, & Hymnos.
- III. Ad Hymnum Ambrosianum.
- IV. Ad Versiculos Nocturnorum, & post Hymnos.
- V. Ad textum Evangelij ante Homiliam.
- VI. Ad Capitula omnium Horarum.
- VII. Ad Lectiones breves Primæ & Completorij.
- VIII. Ad Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*.
- IX. Ad Antiphonas B. Virginis in Dominicali Officio, & tempore Paschali cantari solitas.
- X. Ad Lectiones in Officio parvo B. Virginis in Adventu; hæc enim, cum sint de Evangelio, laudabilius ad eas statuit Gavantus s. 10. c. 1. n. 3.
- XI. Ad Psalmos etiam stant aliqui, uti Clerici Regulares, & Barnabitæ, teste Gavanto s. 1. c. 8. n. 18. ubi addit idem à Baronio ex S. Petro Damiani An. 1062. probari; sed consuetudo sedendi ferè hodie prævaluit.

§. III.

De Sessone.

- I. HÆc peragitur ad Psalmos omnium Horarum, saltem ex consuetudine; imò & convenienter Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 5.
- II. Ad Lectiones Matutini juxta idem Cæremoniale. l. 2. c. 6.
- III. Ad

III. Ad Antiphonas ante & post Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*. Ibid. c. 3.

§. IV.

De Manuum Cæremoniis.

HArum diversi Ritus & motus in Officio divino cantando adhibentur; nam interdum ad caput cooperiendum, vel detegendum applicantur: interdum ad pectus percutiendum usurpantur, aut ad Crucis formationem: interdum conjunctæ & erectæ tenentur.

Manu Caput cooperit.

- I. Ante discessum à loco Paramentorum, & post factam in discessu reverentiam Crucis.
- II. Ad Psalmos, Lectiones, & Responsorialia, nisi adsit SS. Sacramentum expositum; tunc enim aperto esse capite decet ob reverentiam SS. Sacramento debitam.
- III. Ad Antiphonas ante Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, uti & post illas.
- IV. In recessu ab Altari.

Manu Caput detegitur.

- I. In discessu à loco Paramentorum, pro facienda Crucis reverentia.
- II. In accessu ad Altare.
- III. Quodcumque à Sessione præcedente surgitur.
- IV. In accessu ad locum Paramentorum pro facienda Crucis reverentia.
- V. Ad *Gloria Patri* per omnes Psalmos & Lectiones.
- VI. Ad nomen Papæ viventis.
- VII. Ad Verba; *Sit Nomen Domini: Sanctum & terribile:* quibus Gavantus s. 10. c. 2. n. 9. & post illum Corsettus tr. 1. c. 21. n. 2. etiam addunt Versus: *Benedictus Dominus die quotidie: Benedictum nomen Maiestatis: Benedicat nos DEVS, DEVS noster:* Sed hæc posterior detectio à paucis observatur.

Manu Crux minor formatur.

Ad initium Marutini, dum dicitur: *Domine labia mea:*

mea: tunc enim Labia Cruce minore signantur: juxta Rubricas tit. 13. n. 1.

I. Ad *Convertete nos* aliqui, teste Gavanto f. 10. c. 1. Rubricam Crucem minorem in pectore formant; sed cum nec Rubricæ, nec Cæremoniale hujus Cæremoniæ meminerint, etiam etiam omitti videtur.

Manu Crux major formatur.

I. Ad *DEVS in Adiutorium* in initio omnium Horarum formatur Crux major, manu extensa signando se à fronte in pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, pro unoquoque verbo, tangendo frontem, pectus, & humerum utrumque, præscribit Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1.

II. Ad Versum *Adiutorium nostrum* ante Confessionem in Prima & Completorio; non autem quando idem Versus in Prima post Lectionem brevem dicitur, quia mox ad sequentia verba formanda est.

III. An *Indulgentiam* post eandem Confessionem.

IV. Ad Dominus nos benedicat in fine Primæ.

V. Ad *Magnificat*, quando discedit à Sede ad incensationem Altaris, juxta Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1. Unde ob paritatem rationis idem etiam faciendum ad Canticum *Benedictus*, & *Nunc dimittis* putat Gavantus f. 10. c. n. 10. quia & hæc sunt Cantica ex Evangelio desumpta; quia de Canticum *Nunc dimittis*, nullam similem Cæremoniam præscribit Cæremoniale, & pro Canticum *Magnificat* ob recessum à Sede ad Altare eandem præscripsisse videtur, id ad solum Canticum *Benedictus* etiam ea Crux ob similitudinem causæ facienda videtur, uti idem Cærem. l. 2. c. 7. præcipit, dum in Laudibus omnia, ut in Vesperis observantur, ait. Nec obstat, quòd Canticum *Nunc dimittis* sit ex Evangelio desumptum; nam etiam textus Evangelij in ante penultima Lectione est ex Evangelio, nec tamen ad illius recitationem Crux formatur, uti ipse Gavantus f. 10. c. 3. numerum monet.

Manus conjunctas & elevatas tenet.

I. Ad egressum & regressum in Sacristiam.

II. Ad accessum & recessum à Sede.

III. Ad recitationem *Pater noster*, *Ave*, & *Credo*.

In Horis Canonicis observanda. 71

IV. Ad Lectionem nonam, quam ipse recitat, ad Capitula, Absolutiones, Benedictiones, Orationes, Cantica, Hymnos, Invitatorium.

V. Ad Antiphonam B. Virginis, & Versus subsequentes usque ad *Benedicat nos &c.*

Manus super genua explicatas gerit.

I. Sub Psalmis & Lectionibus.

II. Sub Antiphonis ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Manu pectus percutit.

I. Ad binam Confessionem, cum dicit: *Mea culpa &c.*

II. Ad *Agnus DEI* in Litanis Omnium Sanctorum.

§. V.

De Osculo Altaris.

I. Semel tantum expressè præscribitur hoc osculum in Cæremoniali. l. 2. c. 1. scilicet in Vesperis, cum post introitum *Magnificat* ad Altare venit Officiator.

II. Idem tamen ob rationis paritatem in Cantico *Benedictus* faciendum videtur.

§. VI.

De Incensatione.

I. Peragenda est hæc primò ad Vesperas primas & secundas juxta Cæremoniale Episc. l. 2. c. 1.

II. Eadem etiam facienda præscribitur ad *Benedictus*, uti ibid. cap. 7. videre est.

TITULUS V.

*DE TONO VESPERARUM,
ET COMPLETORII.*

Quid sit Tonus in genere, & quotuplex, in Instructione de SS. Missæ Sacrificio p. 2. tit. 33. fusiùs explicatum est, unde hoc loco solum de Tono speciali Vesperarum agendum erit.



novam descendentem de Cælo à



De o pa ra tam si cut sponsam



ornatam viro su o.

Si tamen ultima vox Capituli monosyllaba fuerit, aut ac-
centum acutū in fine habuerit, tum tali tono proferenda erit.



super te or ta est.

Si interrogativum in medio vel fine occurrerit, sic can-
tabitur:

E s

Quis



Quis est hic, & laudabimus eum?

Tertius in Orationibus post Canticum *Magnificat* adhibendus idem est cum eo, quem in Missa usurpandum in prima Instructione dixi. Versus verò *Dominus vobiscum, Filium, Dominus det nobis &c.* canuntur sine ulla variatione vocis, cum hoc solo discrimine, quòd primus clarâ, reliqui duo nonnihil submissâ voce canantur. Quartus tonus in Antiphona ultima, si Completorium vel aliud Officium non sequatur adhibendus, Ferialis minor in Rituali Augustano vocatur, & usurpatur semper in alijs etiam Orationibus, quæ breviter per has clausulas: *Per Christum Dominum nostrum: Qui vivis & regnas in secula seculorum &c.* clauduntur. Habet autem unam duntaxat variationem, quæ ante & in fine clausulæ, & in Versu Orationem antecedentem usurpatur hoc modo,



Gratiam tuam quæsumus &c. gloriam




perducamur. Per eundem Chri-



stum Do mi num no strum.

Versus: *Divinum auxilium &c.* sicut *Fidelium* submissè can-
tatur sine vocis variatione.

II. In Completorio quinque potissimùm Toni ab Offi-
ciatore adhibentur. Primus est Benedictionis, qui juxta se-
quentes Notas exprimitur; & in Matutino etiã pro Abso-
lutionibus adhibetur.



Noctem qui e tam, & si nem perfectum



con ce dat ro bis Do mi nus



om ni po tens.

E 6

Jube

Quartus est Capituli, qui idem est cum eo, qui in Capitulis Vesperarum & aliarum Horarum adhibetur, & supra jam notatus est. Sed & quintus pro Oratione *Visita nos* idem est cum Tono Feriali majore in Orationibus Simplicium Festorum, imò & in Duplicibus & Semiduplicibus ad Orationem primam Primæ, Tertiæ, Sextæ & Nonæ usurpatur, nullamque, ut dictum est, vocis variationem admittit.

Sextus denique in Antiphonis B, MARIÆ adhiberi solitus Ferialis Minor est, de quo paulò antè in Vesperis dictum, qui etiam pro Oratione *Dirigere* ad Primam, ad Orationes Litaniarum & Aspersions aquæ benedictæ adhibetur.

De Tonis aliarum Antiphonarum, Psalmorum, Versiculorum, quia plerumque non ab Officiatore, sed Cantoribus canuntur, nihil hîc addere placuit, maximè cum etiam plures sint, quàm ut tam parvo libello comprehendi commodè queant.

P A R S IV.

DE SPECIALIBUS QUIBUSDAM
FESTIS ET OFFICIIS.

ET si pleraque, quæ de his dicentur, hinc inde in Superioribus partibus inspersa sint, quia tamen ad plenioram doctrinam, & memoriæ subsidium non parùm juvat, si ad certos & communes Titulos redigantur, placuit & hoc adjumento Tirones non defraudare.

§. I.

De Dominicis.

I. **D**ominicæ ab Apostolis hanc nomenclationem acceperunt, eò quòd Domini sint, id est, divino servitio con-

consecratæ, & in Sabbatum Judæorum substitutæ. Hinc Gavantus p. 4. tit. 12. n. 23. notat, Officia Dominicarum nunquam omittuntur, quin saltem de ijs commemoratio fiat aut præcedenti aliquâ die non impedita celebrentur, aut eodem uno tempore ad aliud transferantur.

II. Dividuntur primò in *Vacantes* & *Non vacantes*. Illæ sunt, de quibus omnino nihil fit in Officio, uti contingit, Festum Nativitatis aut Circumcisionis Domini, aut Epiphaniæ, aut Dies Festi & Octavæ SS. Stephani, Joannis, & Innocentium, aut Vigilia Epiphaniæ in Dominicam cadat. Non vacantes sunt, quæ vel totum Officium, vel saltem commemorationem, & lectionem Evangelij habent.

Secundò dividuntur in *Vagas* (ut docet Gavantus p. 4. tit. 4. n. 4.) & *Fixas*. *Vagæ* sunt, quæ nec certum cum alio Ordinem, nec certum Introitum & alia accessoria (puta Offertorium, Graduale, & Communionem) habent; quales sunt tantùm quarta, quinta, & sexta post Epiphaniam, utpote quæ interdum statim post Epiphaniam, interdum longè post Pentecosten celebrantur. Reliquæ omnes Dominicæ in contrario sensu fixæ dicuntur. Et hæc subdividuntur in Dominicas *solemnnes* seu *privilegiatas* (quæ nulli communi duplici cedunt, & aliæ sunt primæ, aliæ secundæ classis, ut alibi dictum, & in Tabula Festorum Breviario præfixa videre est) & *communes*, seu *per annum*, ut vocant prædictæ Tabulæ, quæ cuivis Festo duplici, non autem Semiduplici, nisi Vigiliæ Epiphaniæ, cedunt.

III. Si Dominica aliqua ex ultimis quatuor post Epiphaniam, aut vigesima tertia post Pentecosten exclusa fuerit, ut in nulla Dominica celebrari queat, tunc in proxima Feria antecedente, quæ nullo Festo novem Lectionum impeditur, celebranda est, sed sub ritu simplici duntaxat, ita ut solæ Lectiones, & Antiphona ad *Benedictus* cum Oratione ex Dominica sumantur. Si verò tota hebdomas impedita fuerit, in Sabbato saltem commemoratio fiet de Dominica, & novæ Lectio de eadem legetur. Arnaud. tr. 2. p. 1. tit. 4. num. 2.

IV. Si Dominica infra Octavam Nativitatis impediatur per duplicia occurrentia, eo die, quo Universalis Ecclesia illam celebrat, de ea commemoratio facienda, & nona Lectio dicenda erit. Idem tr. 2. tit. 6. n. 5.

V. Si Dominica infra Epiphaniam fuerit ab Octava die Epiphaniæ impedita, in Sabbato celebranda est; aut si hoc fuerit impeditum per Festum Patroni, aut Titularis, aut Dedicacionis, de illa tunc commemoratio facienda, nonaque Lectio dicenda erit.

VI. De Dominica secunda post Epiphaniam semper fieri debet Officium ante Septuagesimam; hinc si Septuagesima, tunc fieri potest, immediatè post Octavam Epiphaniæ cadat, tunc de hac Dominica vel in Sabbato, vel si hoc impediatur, prima die post Octavam duplici non impedita Officium dici debet; aut certè, si tota hebdomas impedita foret, commemoratio fieri, & nona Lectio dici deberet, uti Rubrica de Dom. n. 4. præcipit.

VII. Dominica Trinitatis non leve cuiquam dubium creare posset, utpote quæ inter Dominicas primæ classis in Tabula Festorum ponitur; si enim talis est, cur Festo SS. Trinitatis, quod secundæ tantum classis est, cedit; si autem, ut Arnaudus tr. 2. tit. 19. ait, est Dominica communis, atque adeò in concursu cum Solemnibus Duplicibus Commemorationem in Vesperis secundis amittit, cur inter Dominicas primæ Classis ponitur? ad hoc dubium responderi potest cum Gavanto s. 6. c. 19. n. 2. Festum Trinitatis interdum Dominicam (quia in ea semper occurrit) interdum Festum vocari; cum ergo ex speciali privilegio participet cum Dominicis primæ classis in hoc, quòd nulli Festo cedat; ex altera verò parte in Laudibus & Missis privatis commemorationem simplicis admittat, meritò ob diversum respectum, idem Festum inter Dominicas primæ classis, & inter Duplicia secundæ classis ponitur, ob quam causam fortè in Rubricis atque Officio de Trinitate Dominica propriè dicta, de qua fit commemoratio, non vocatur Dominica Trinitatis, sed prima post Pentecosten, ut indicetur, distinctionem esse inter Dominicam Trinitatis, & Dominicam primam post

post Pentecosten; eò quòd per hanc ipsa vera Dominica, illam verò Festum Trinitatis in Dominicam cadens intelligatur.

VIII. Dominica prima Adventus illa dicitur, quæ Festo S. Andreae proximior est; illa autem proximior est Festo, quæ vel cadit in ipsum Festum, vel antecedit illud intra primos quatuor sequentis hebdomadæ dies cadens; sequitur illud cadens in tres postremos antecedentis hebdomadæ dies.

IX. Dominica quoque prima mensis ea dicitur, quæ Calendis est proximior, proximitate hæc eodem modo explicata, sicut numero priore respectu Festi Andreae explicata est.

§. II.

De Festis.

I. **F**esta Sanctorum illi sunt dies, qui sunt consecrati Sanctorum cultui, & memoriæ celebrandæ, ut, quemadmodum S. Augustinus l. 20. contra Faustum c. 21. ait, partim eorum virtutes imitemur; partim eorum meritis concitemur; partim eorum Orationibus adjuvemur. Vocantur interdum *Natalitia* Sanctorum, non quòd eo die terris, sed cælo per sanctam & beatam mortem nati sint.

II. Dividuntur primò in *Festa Chori & Fori*. *Festa Chori* sunt, quæ solummodo in templo Ecclesiasticis Officijs, non autem abstinencia à laboribus servilibus celebrantur. *Festa Fori* sunt, in quibus Fideles ad auditionem Missæ, & celebrationem à servilibus laboribus obligantur.

III. Dividuntur secundò in *Festa Mobilia & Immobilia*. *Mobilia* sunt, quæ nulli certo diei Mensis affixa sunt, quales sunt Resurrectio Christi, Ascensio, Pentecostes & similia. *Immobilia* sunt, quæ certis diebus Mensium ex prima Institutione affixa sunt; licet per accidens interdum impediuntur transferri debeant in alium diem.

IV. Dividuntur tertio in *Solemnia, & minus solemnia communia*. *Solemnia*, prout hæc accipiuntur, sunt ea, quæ in Ecclesia cum extraordinaria solemnitate peraguntur, qualia cæteri possunt duplicia primæ & secundæ Classis.

Communia sunt, quæ communi & ordinario modo ab Ecclesia celebrantur; qualia sunt omnia Festa à præcedentibus distincta.

V. De Festo Corporis Christi olim licebat commemorationem cum nona Lectione facere; nunc autem simpliciter à S. Congregatione Rituum 8. Jun. 1670. prohibitum est, Lectionem nonam dicere, etiam si commemoratio adhuc fieri debeat. Quod tamen decretum extendendum non est ad Vigiliam S. Joannis Baptistæ infra Octavam Corporis Christi occurrentem, quia Vigiliæ non numerantur inter Festa Simplicia strictè accepta.

VI. Festum Purificationis B. Virginis, si in Septuagesimam, vel aliam similem Dominicam privilegiatam cadat, ex decreto Clementis VI. sequenti die celebrandum est; Unde colligitur, si aliud Festum novem Lectionum eo die occurrat, transferendum id esse; alioqui enim speciali Clementis decreto opus non fuisset, cum per se ex Rubricis constaret satis, illud, si dies impedita non occurrat, in sequentem diem transferendum esse. Et videtur fortè Pontifex hâc ratione ad illud decretum motus, ne, quia cum Purificatione, ut supra dictum est, etiam Orationes de partu B. Virginis, & Antiphona *Alma Redemptoris* transferenda sunt, nimis diu contra Mysterium de partu Commemoratio facienda sit.

VII. Festa SS. Stephani, Joannis Apostoli, & Innocentium prorsus singularia sunt, quia in paucis ordinarias & generales Rubricarum Leges sequuntur. Nam imprimis Festum S. Stephani, & SS. Innocentium in Tabula Festorum nec inter Festa primæ, nec secundæ Classis ponuntur, cum tamen iisdem (saltem Festo S. Stephani) Festum S. Joannis Apostoli, quod est secundæ Classis, in primis Vesperis cedat. 2. Quia non modò Octavas integras habent (quod ad minimum ea inter Festa secundæ Classis numeranda esse arguit) sed etiam contra privilegia Duplicium secundæ Classis, Commemorationem diei infra Octavam in ipso suo Festo admittunt. 3. Quia in Festo nullum earum integras habet Vesperas, sed dimidias duntaxat, seu à Capitulo inchoatas. 4. Quia nec cedunt sibi mutuò juxta Regulas Breviarij; cum Festum S. Joannis utpote Apostoli dignius videatur S. Stephani Festo, utpote Martyris duntaxat, & tamen in primis Vesperis cedere

dere debeat S. Stephani Festo; ob quam causam Andreas Castaldus in Cærem. Cleric. Regul. l. 3. c. 5. n. 1. Festum S. Stephani ad primam classem Duplicium revocandum putat, cuius sententia & mihi probabilior videtur; tum quia sic generales Rubricæ in omnibus tribus his Festis magis servantur, dum de singulis ratio reddi potest, cur alteri cedat, nempe quia minùs dignum erat: tum quia valde credibile est, quòd, sicut Ecclesia primarios duos Apostolos in prima classe ponere voluit, ita etiam primum Ecclesiæ Martyrem honore eodem afficere voluerit; tum quia sic ratio reddi potest, cur Ecclesia Festum S. Stephani, & SS. Innocentium inter Festum primæ & secundæ Classis in Catalogo Festorum non posuerit, eò quòd scilicet ex ipso eorum Officio id satis colligi poterit, nempe Festum S. Stephani inter primæ Classis numeranda esse, quia Festum S. Joannis Apostoli, quod est secundæ Classis, eidem cedit, (quod tamen, si secundæ Classis etiam Festum S. Stephani foret, eidem ob dignitatem majorem Apostoli, quàm Martyris, præferendum foret) & Festum SS. Innocentium esse secundæ Classis ob Octavam, quam habet, & minùs dignum Festo S. Joannis, quia eidem utpote secundæ Classis Festo cedit; quæ omnes rationes, quia, ut patet, pro Festo S. Laurentij non pugnant, hinc immeritò Gavanto l. 6. c. 6. n. 1. ex paritate ejusdem Sancti cum S. Stephano eandem Classis dignitatem evincere conatur. Sed & aliud quòd cit. Author n. 6. addit (quod scilicet, si in his Festis aliud Festum primæ Classis, v. g. Dedicatio aut Titularis occurreret, de sola Nativitate Christi in Laudibus commemoratio facienda esset) meritò dubium videri posset, cum enim Ecclesia de facto Octavis illis Commemorationem permittat, licet vi Rubricarum generalium (quæ in Festis secundæ Classis nullam Commemorationem diei infra Octavam concedunt) neutiquam illis competeret, videtur hoc speciale his Festis privilegium concedere voluisse, ut, quocumque Festo occurrente de iisdem Commemoratio fiat. Respondet tamen ad hoc dubium pro Gavanto posset, quòd hoc ipso, quòd Rubrica in Tabula occurrentiarum inter privilegiatas Octavas, de quibus semper fit Commemoratio, Octavam Nativitatis, & non S. Stephani ponat, satis eam indicare, quòd hoc privilegium S. Stephani Octavæ non conveniat. Quòd autem

autem in Festo S. Joannis, & SS. Innocentium Commemoratio de Octava S. Stephani contra communem Legem admittatur, cum Festum S. Joannis sit minoris solemnitatis, utpote secundæ Classis, hoc ad Festa primæ Classis extendendum non esse.

VIII. Cùm Festum Rosarij, teste Gavanto s. 7. c. 12. n. 1. debeat ubique celebrari, ubi adest Altare seu Capella Rosarij, sub Duplicis majoris ritu, in prima Dominica Octobris, quæ scilicet occurrit in Kalendis, vel post Kalendas, ex decreto Gregorij XIII. die 1. April. 1573. Officium de eo, ut in Festo Nivis, recitandum est, exceptis Lectionibus secundi Nocturni, quæ ex secundo Nocturno de Nativitate B. V. mutato verbo *Natali* in *Solemnitate*, sumendæ sunt. Quòd si hoc die, Octava dies Titularis aut Dedicationis Ecclesiæ occurreret, Gavantus putat de Rosario dicendum Officium cum Commemoratione Octavæ, sicut in simili casu Sacra Congregatio de B. V. Visitatione permisit Officium dici in Octava S. Prosperi, qui Regij Patronus est, licet alioqui vi Rubricarum transferri deberet illud Festum. Secus sentiendum ait, si ipsa Dedicatio aut Festum Titularis in hac Dominica occurreret, tum enim à S. Congregatione 6. Febr. 1638. decretum esse dicit, ut nihil fiat de Rosario, neque etiam transferatur, cum non conveniat illud à Dominica transferri.

§. III.

De Dedicatione.

I. **D**edicatio Ecclesiæ est Festum, in quo memoria primæ Dillius consecrationis solemniter celebratur. Unde & à S. Leone *Natalis* Ecclesiæ nominatur, estque juxta S. Thomam lect. 5. in cap. 10. Joann. dignius Festo Titularis & Patroni, eò quòd in illo recolantur beneficia totius Ecclesiæ collata, quæ superant beneficia uni tantum vel alteri Sancto exhibita.

II. Dividitur in Dedicationem *propria* vel *aliena* Ecclesiæ; inter quas hæc diversitas est, quòd Dedicatio propriæ Ecclesiæ semper sub ritu Duplicis primæ Classis, & cum Octava celebranda sit; non item alienæ, quæ sub ritu communi

nis Duplicis tantum celebratur, nisi sit Cathedralis Ecclesia, tunc enim in Diœcesi etiam sub ritu primæ Classis celebranda erit, sed sine Octava, ut teste Gavanto f. 8. c. 5. n. 5. Congregatio 2. Maij 1619. decrevit. Unde si occurrant hæ Dedicationses, Dedicatio propriæ Ecclesiæ celebrari, & Dedicatio alienæ, etiam Cathedralis transferri debet juxta Romanam decis. 616. n. 1. Regulares tamen non obligantur (nisi fortè ex decencia) ad Cathedralis Ecclesiæ Dedicacionem celebrandam.

III. Si concurrant vel occurrant plurium Dedicacionum Festa, vel Octavæ earundem, pro varietate Orationum sumi poterit ea, quæ ipsi diei Dedicacionis seu Consecrationis convenit, uti juxta Gavantum in postrema Breviarum recognitione additum fuit.

§. IV.

De Feriis.

I. **F**eria est dies quædam certa cujusque hebdomadæ; cum enim Fideles horrerent dies hebdomadæ à Gentilibus Dijs nominare, nomen Feriæ substituerunt, & ipsam quidem Dominicam, primam Feriam, & sic reliquas secundam, tertiam &c. nominârunt, solo Sabbati nomine retento, quòd nihil Gentile sonabat. Vocârunt autem Ferias, ut innuerent, Clericos utpote in sortem DEI vocatos, ab alijs laboribus & operibus vacare, totòsque Ecclesiasticis Officijs, & DEI obsequio tradere se debere.

II. Dividuntur in Majores & Minores, quarum differentia est, quòd de Majoribus quocunque Festo occurrente (quam ob causam & Majores dicuntur) non item de Minoribus commemoratio fieri debeat, quod ideo ab Ecclesiâ constitutum existimo, ut majorem nobis Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum reverentiam & pietatem generaret.

§. V.

De Vigiliis.

I. **V**igiliæ à vigilando dictæ sunt, eò quòd olim Christiani ante Festa Sanctorum vigilare, & Orationibus

Jejunio vacare consueverint, quæ tamen Nocturnæ Vigiliæ ob varia incommoda ab Ecclesia sublata sunt, solo Vigiliarum nomine & jejunio retentis, tum ut Festum per eandem solemnus redderetur; tum ut per pridianam abstinentiam purificati Fideles, tantò aptiores redderentur ad sequentis Festi lætitiæ dignè celebrandam. Aliquæ tamen Vigiliæ sine jejunio celebrantur, uti Vigilia Epiphaniæ & Ascensionis Domini, eò quòd non deceat lætitiæ ex Nativitate & Resurrectione Christi exortam jejunio temperare.

I. Dividi possunt in Vigiliæ *Majores & Minores*, quarum priores sub ritu Semiduplicis celebrantur, ut Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes; aut omnino sub ritu Duplicis, uti Vigilia Nativitatis saltem à Laudibus inchoata ritum Duplicis habet; posteriores ritu tantum simplicis celebrantur.

III. Vigiliæ Festorum in Dominicam incidentes, in Sabbatum juxta Rubricas transferuntur, non item si in Festo occurrant, tunc enim licet & ipsæ ab Episcopis transferri possint (uti in Diocesi Ratisbonensi pro Festo S. Wolfgangi Vigilia in illud cadens transferri solet) si tamen id non fiat, tum vel de Vigilia commemoratio tantum fieri debet, si Festum illud sit ex communibus Duplicibus per annum; vel omnino omitti, si Festum sit altioris ordinis, nempe primæ vel secundæ Classis. Si autem dicto modo anticipetur Vigilia, Gavantus ait, non esse anticipandum Officium, cum separari possint Jejunium & Vigilia, ut in Vigilia Nativitatis in Dominicam cadente patet.

III. Si Vigilia cum aliqua Feria majori occurrerit, nulla fit commemoratio de illa juxta Rubricas de Vigil. n. 2.

IV. Vigilia Epiphaniæ non tantum quoad hoc singularis est, quòd tres Nocturnos & novem habeat Lectiones; sed etiam quoad hoc, quòd de eadem quocunque Festo Duplici occurrente commemoratio fieri debeat, uti in postrema Breviarij recognitione additum est, teste Gavanto & Arnaldo tit. 6. n. 4. tr. 2.

V. Convenit Vigiliæ Simplicis Officium cum Feria quoad Ritus in omnibus, præterquam in Lectionibus, quæ ex Homilia in Evangelium ex Proprio vel Communi Sanctorum sumuntur.

§. VI.

De Officio B. MARIÆ in Sabbato.

I. **D**icendum est hoc Officium, quoties in Sabbato Festum novem Lectionum, aut Feria Major vel Vigilia non occurrit; nec ratione Dominicæ anticipandæ, aut Responsoriorum primò in Dominica ponendorum celebrandum est Officium.

II. Ritus hujus Officij in omnibus cum Ritu Simplicis Festi convenit, excepto, quòd, si per enumerata Festa & Ferias impediatur, nulla de B. Virgine commemoratio fiat, qualis tamen commemoratio Simpli conceditur.

III. Quòd si in Feria VI. antecedente aliud de B. Virgine Festum celebretur, non erit de ea facienda ordinaria commemoratio, sed sola Oratio Festi dicenda est, ne bis de eadem in Officio fiat commemoratio.

IV. Si aliud Festum novem Lectionum in Feria VI. occurrat, nec aliud impedimentum sequenti die objiciatur, non solum commemoratio de B. MARIA in Sabbato facienda, sed etiam in Hymnis Vesperarum & Completorij ultima Stropha Hymni perinde varianda est, ac si de B. Virgine à Capitulo dictum fuisset Officium, cum per concursum altioris Festi non adimatur ei jus ad eas partes, quæ sine præjudicio Semiduplicis ei concedi possunt. Ita Gavantus l. 8. c. 6. n. 5. & Arnaudus p. 4. tit. 40. n. 3. qui licet tantum hanc mutationem in Completorio faciendam asserant; eadem tamen ratio etiam in Vesperis eam faciendam esse persuadet, cum etiam ad has à Capitulo jam jus habeat B. Virgo. Et ita ex ipsis Rubricis tit. 20. n. 4. manifestè colligi videtur. Nec obstat, quòd eadem Rubrica dicat variationem hanc faciendam esse, *quando Officium sit de B. MARIA*; nam hoc intelligendum non tantum de toto Officio, sed ipsâ etiam commemoratione, colligitur ex eodem textu, dum ait, *per Octavas prædictas* (inter quas etiam est Octava B. V.) *variationem hanc faciendam esse, etiamsi Hymni (adeoque ipsum etiam Officium) de Sanctis dicantur.*

§. VII. De

§. VII.

De Officio parvo B. Virginis.

I. **O**fficium hoc à S. Petro Damiani Cardinali institutum, aut certè, ut alij volunt, restitutum, extraChorum de facto nemo recitare tenetur, eò quòd Pius V. per specialem Bullam sustulerit omnem obligationem, teste Gavanto f. 9. c. 1. n. 2. Intellige tamen *Vi Ordinationis*: nam Pensionarij ob Beneficium ad hanc recitationem tenentur, uti & Religiosi aliqui ob consuetudinem, & Leges Ordinis sui.

II. Intra Chorum tenentur ad hoc Officium, quicumque antè ex consuetudine ad illud tenebantur, sed non nisi in Simplicibus extra hebdomadas Palmarum, Paschatis & Pentecostes, & Sabbatum, quando de B. MARIA dicitur Officium, occurrentibus; nisi alicubi consuetudo fuerit, ut etiam in Dominicis & Semiduplicibus recitetur; tunc enim eam servandam esse, Urbanus VIII. die 2. Jan. 1627. decrevit.

III. Tempore Paschali in Matutino dicuntur tres Antiphonæ ad Psalmos, sicut extra illud tempus; nec in fine earum, aut Invitatorij & Responsoriorum Alleluja additur, uti S. Congregatio 28. Mart. 1626. decrevit.

IV. Extra Chorum mutatur semper tertio Februarij; in Choro tamen cum ipso Purificationis Festo translato transfertur; nec ante finem Octavæ, si eam hoc Festum alicubi habeat, mutatur.

V. In Choro ante Matutinum & Vesperas, & post minores Horas recitatur; hinc in fine Laudum & Vesperarum, quia sequitur aliud Officium, Versus *Fidelium* omittitur, ut notat Gavantus l. c. n. 13.

§. VIII.

De Officio Defunctorum.

I. **O**bligantur ad hoc ij tantùm, qui ad Chorum obligati sunt, primâ die cujusvis Mensis (intellige extra Quadragesimam & Adventum, & tempus Paschale) etiamsi omnes dies usque ad ultimam impediti forent, & mox iterum sequenti

quenti die recitandum foret. Item in Feria secunda cujusvis hebdomadæ in Adventu & Quadragesima (sacrâ tamen hebdomadæ exceptâ) Officio novem Lectionum non impositâ. Reliqui solum in Commemoratione omnium Defunctorum obligantur, nisi ratione foundationis sui Beneficii specialem obligationem contraxerint.

II. Psalmi positi in fine Vesperarum & Laudum non dicuntur in die Commemorationis, & Depositione Defuncti, sed tres Nocturni dicantur. Quod si extra hos casus Matutinum à Laudibus separetur, preces sine Psalmo cum Oratione, vel Orationibus (saltem in Choro) dicendas esse, ait Gavantus s. 9. c. 2. n. 5.

III. Versus, qui post Psalmos dicuntur, mutantur in numerum singularem, si pro uno dicatur Officium, sicut & Oratio sequens; reliqua in toto Officio non mutantur. Ibid.

IV. Regulariter Matutinum recitari debet ipso die, quo obligat; non autem pridie, nisi fortè alicubi consuetudo vigeat, ut illud pridie recitetur; tunc enim illa retineri poterit, uti ipsæ Rubricæ hoc loco indicant. Vesperæ tamen semper pridie post Vesperas recitari deberent; atque adeò, si Matutinum fortè præsentem corpore manè dicatur, eo casu omnino omittendæ sunt, quia Matutinum tempus non est tempus primarum Vesperarum, uti notat Gavantus s. 9. c. 2. n. 6.

V. Etiam si concedatur hoc Officium in Choro in Festis novem Lectionum pro voluntate Testatorum implenda, nunquam tamen in Festis primæ aut secundæ classis, aut ultimo triduo sacræ hebdomadæ dicendum est, ut Arnaudus p. ult. tit. 2. n. 19. ex Gavanto notat.

§. IX.

De Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus.

I. **A**D hos nemo obligatur, nisi qui in Choro ad publicas Horas recitandas tenetur; ab hac enim obligatione Pius V. exemit omnes, qui ad dictum Chorum non sunt obligati.

II. Litanij, quæ subjunguntur Psalmis Pœnitentialibus non debet ulla fieri additio, ne Patronorum quidem loci aut Titularium Ecclesiæ, inconsultâ sanctâ Sede Apostolica, uti S. Congregatiõ 22. Mart. 1611. respondit.

III. Sede

III. Sede vacante, in iisdem Litanis omitti debent ij Versus & Orationes, in quibus de Pontifice fit mentio.

§. X.

De Obligatione ad Horas Canonicas recitandas.

I. **H**Æc materia propriè ad Theologos Morales spectat; quia tamen etiam Rubricistæ, præcipuè Gavantus & Arnaudus eam pertractant, placet ad eorum imitationem aliqua de hac materia, notatu digniora pro complemento & perfectione totius materiæ de Horis Canonicis breviter afferre. Quatuor autem præcipuè de hac obligatione consideranda veniunt, nempe, quis, quomodo, & ad qualem recitationem obligetur, & quid excuset ab ea obligatione.

II. Quæritur ergo primò. *Quis obligetur ad Horas Canonicas seu Officium divinum recitandum?* R. triplicis præcipuè Generis Personæ, videlicet primò *Clerici Sacrorum Ordinum*, etiam suspensi, excommunicati, & degradati; hi quippe omnes tum Jure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesiæ tenentur ad has Horas recitandas. Secundò, *Beneficiati*, id est, Clerici Beneficium cum effectu, seu cum fructibus ad tertiam vel quartam partem honestæ & mediocris sustentationis sufficientibus, & actu percipiendis habentes; quia his Beneficium propter Officium datur, ut habet commune axioma Canonistarum. Tertiò, *Professi Religiosi* ad Chorum destinati, qui vi Regularum suarum, & ob antiquam & receptam consuetudinem tenentur ad eadem Horas Canonicas recitandas.

III. Qu. 2. *Quomodo obligentur?* R. sub duplici reatu. Primò, sub peccato gravi, si partem notabilem omitteant, qualis communiter censetur esse una parva Hora, vel pars æquivalens illi, uti esset unus Nocturnus. Secundò, sub restitutione fructuum, qui ob solum beneficium sunt percepti, faciendæ fabricæ vel pauperibus post sex menses ab adepta possessione.

IV. Qu. 3. *Ad qualem recitationem obligentur?* R. ad quintuplicem. Primò, ad *attentam*, qualis est, non tantum, quæ ad DEUM vel sensum, sed etiam, quæ ad verba

tantum, suppositâ intentione orandi & vacandi DEO, attendit. Unde P. Gobat in Triga horaria n. 842. probabiliter putat, eum non teneri ad ullam restitutionem, qui cum voluntarijs & perpetuis distractionibus omnes Horas recitavit, sed nec ad repetendum quicquam eorum, quæ mente distractâ pronuntiavit, obligari. Secundò, Ad *Continuatam*, nisi causa rationabilis ad interruptionem compellat, qualis apud P. Gobat l. c. n. 671. est, si quid facias ad tollendam distractionem; aut, si quid interius te inquietum faciat, ideoque breviter in charta notes, aut Famulo mandes juxta Suar.; aut, si ad manum non habeas Lectiones, & solos Psalmos ex justa causa recites juxta Laym.; aut si in Confessionali otiosus expectes confitentes &c. Nec gravis existitur ratio, inquit idem Author n. 615. ad omnem culpam tollendam, si unus Nocturnus ab altero separetur. Tertiò, Ad *tempestivam*: ut scilicet, in Choro maximè, præscripta tempora observentur; in privata tamen recitatione sine scrupulo posse Matutinum pridie post Vesperas recitari, multi apud P. Gobat n. 678. & seq. docent, additque idem Author n. 679. non dubitaturum se illorum Authorum, qui horâ secundâ Matutinum inchoari pridie posse putant, sententiam sequi, si confessiones ab hora tertia usque ad cœnam excipiendæ forent. Sed & Bonartius 16. n. 681. cit. testis est, esse communem sensum, quòd quælibet honesta vel utilis causa, ut est major devotio, major commoditas studendi, excuset à veniali dicentem manè uno tractu à Prima ad Nonam inclusive omnes Horas. Rubrica verò, quæ in Quadragesima Vesperas ante prandium dici jubet, solum Chorum obligat. Quartò, Ad *præscriptam*: id est, in Calendario Romano, vel Diocesano Directorio designatam: nisi quis per Religiosam professionem, aut præscriptionem certæ cujuscumque Ecclesiæ ad aliud obligetur. Hinc 1. Capellanus primarius Monasterii, qui facit illis Ordinarium sacrum, & Evcharistiam præbet, licitè recitat Officium de Festivitatibus illarum, ut Tambur. & Quintanad. apud P. Gobat. n. 615. docent. 2. Clericus Regularis aut Sæcularis pluribus annis extra Diocesin existens, aut Monasterium, potest recitare Officium de Sanctis & Festis suæ Diocesis aut Monasterij perinde, ac si in ijs existeret. ibid. num. 635. 3. Sæcularis cum

Regu-

Regularibus in eorum domo, & sub eorum regimine habitans licitè quoque de illorum Sanctis aut Beatis recitat Officium, nisi expressa sit liminatio ad Religiosos, ibid. n. 636.

4. Regulares non tenentur ad omnia Festa universalia Diocesis celebranda, eò quòd Bulla Gregorij 30. Dec. 1573. edita solùm obliget eos, ut in Festivitate Patroni primarij se conforment Matrìci Ecclesiæ. 5. Qui per errorem dixit Matutinum & Laudes de Festo postridie sequentis Festi occurrente, non debet continuare errorem: nec, si per oblivionem omisit dicere Officium in proprio die, potest proximo die non impedito de illo Officium dicere, uti probabilius C. Lugo apud & cum P. Gobat & Busenb. l. 4. c. 2. dub. 2. a. 4. contra alios probabiliter contrarium sentientes docet. Quintò, Ad integram: ut, quantum fieri moraliter potest, nihil omittatur, quod non dicatur, vel audiatur. Hinc, qui cum Socio recitat Officium, aut in Choro, non tenetur repetere, si quid ex ijs, quæ alter Chorus vel Socius recitavit, non satis perceperit; nec ea etiam, quæ per Organi pulsationem sunt suppleta: nec qui occupationem quærendi Psalmos, aut pulsandi Campanas, aut thurificandi &c. habet, uti P. Gobat n. 706. & prioribus docet; cùm in his omnibus & similibus casibus per Organum vel Socios suppleatur, quod negligitur.

Qu. 4. *Quid exenset ab obligatione recitandi Officium?* R. quatuor potissimum causæ. 1. *Necessitas*; qualis est gravis infirmitas, cæcitas, carentia Breviarij &c. 2. *Charitas*; ut si Confessarius, Concionator aut Parochus in cura animarum, aut alius in cura infirmorum sic occupetur, ut tempus ei non supersit ad Officium cum debito ritu, modo, & integritate persolvendum. 3. *Pietas*: ut, cùm in templo quis per necessarias functiones Ministerij sui impeditur, v. g. pulsando Organum, Campanam &c. 4. *Dispensatio*, à Pontifice vel Episcopo facta.

Qu. 5. *Quæ media sint adhibenda, ut huic obligationi quisque iuxta DEI & Ecclesiæ mentem satisfaciat?* R. multa à multis adhibita & præscripta fuisse; inter quæ tamen sequentia quinque meritò præcipua censerì debent. 1. *Æstimatio magna* de hoc Officio, quam non difficulter quis concipiet, si meminerit, Orationem vocalem esse colloquium

cum DEO, in quo orans suum tum erga DEUM, & Cælitum erga seipsum, aliósque homines tam vivos, quam defunctos amorem præclare ostendere, & eorum vicissim benevolentiam & beneficentiam promereri possit; ex altera parte Breviarium aut alias preces plenas esse pulcherrimorum virtutum affectibus, utilissimisque petitionibus ab ipso Spiritu Sancto dictatis sibi persuadeat. 2. *Renovatio attentionis* per certa intervalla, maximè ad Versum *Gloria Patri* procurata. 3. *Accurata sensuum custodia*: quæ est Mater Conservatrix devotionis. 4. *Præsentia DEI & Sanctorum* memoriæ firmiter, ab initio maximè Orationis, impressa. 5. *Obligationis & Officij consideratio*; si videlicet perpendat se ideo ab Ecclesia ordinatum, ut DEI obsequio, laudibusque se totum impendat, & quasi Legatus & Mediator inter DEUM & Fideles existens, horum necessitates & petitiones DEO proponat, & commendat.

§. XI.

De modo piè recitandi Officium divinum.

Hunc breviter, sed bene indicasse videtur S. David Psalmo 46. dum ait: *Psallite Regi nostro, psallite: Psallite DEO nostro, psallite: Quoniam Rex omnis terra DEUS, psallite sapienter.* Ubi repetito quinquies verbo *Psallite* rectè aliqui colligunt, eum breviter indicasse omnium potentiarum hominis ad recitationem Breviarij concurrentium Officium atque adeò voluisse, ut *psalleremus.*

I. Quoad *vocem & linguam*, *distinctè*, singula verba bene proferendo, atque ab omni inordinatâ acceleratione sedulo abstinendo.

II. Quoad *memoriam*, *attentè*, cavendo studiosè omnium animi distractiones, ideóque sensus accuratè custodiendo, omnia impedimenta, quæ dictam attentionem impedire solent, & quatuor potissimum numerantur, videlicet *culpa mordens*, *cura pungens*, *affectio vicens*, *afflictio crucians*, fortiter atque constanter removendo.

III. Quoad *intellectum*, *intelligenter*, dando operam, sensum à Spiritu Sancto & Authore Psalmorum intentum penetremus, sicque voluntati facem præferamus ad similes affectus eliciendos.

IV. Qu

IV. Quoad *voluntatem ardentem, & devotè*, seriò conando, ut ea, quæ verbis proferimus, etiam mente & affectu exprimamus, & eo Spiritu Psalmos recitemus, quo S. David eos decantabat.

V. Quoad *habitum totius corporis, reverenter*, imitando Angelos, qui frequenter visi sunt flexis genibus, summa cum reverentia DEUM laudare.

Quæ quidem Officia quisquis præstiterit; is enim verò meritò sibi polliceri potest, se omnes in Officio divino persolvendo partes implevisse. Ut autem id tantò alacrius, constantiusque faciat, non parùm utique proderit, si de Officio Divino sibi dictum putet, quod pius ille Asceta l. 4. de imit. c. 5. de Missa pronunciavit, dicens: *Quando Sacerdos celebrat (aut Officium Divinum devotè recitat) DEVM honorat, Angelos latificat, Ecclesiam adificat, Vivos adiuvat, Defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.*

P A R S Q U I N T A.

CONTINENS

RUBRICAS BREVIARIJ
ROMANI BREVIBUS NOTIS
ILLUSTRATAS.

Quoniam non pauca hodie sunt Breviaria in plures partes divisa, quarum nulli, aut certè uni duntaxat Rubricæ Breviarij sunt insertæ: in aliis verò minuto adeò caractere impressæ sunt, ut meritò debilioribus oculis fastidium non leve creare possint. Sed & ipsæ Rubricæ in multis locis adeò obscuræ sunt, ut, nisi aut practicis exemplis, aut per brevi explicatione illustrentur, difficulter à Legentibus, Tirionibus maximè, intelligantur; & tandem per se etiam fastidiosum est, si in lectione libelli hujus, ubi Lector ad Rubricas mittitur, ad Breviarium semper recurrere debeat, visum est mihi, & alijs operæ pretium fore, si ipsas etiam Rubricas libello huic insererem, & quæ hinc inde in illo fusiùs circa easdem

easdem Rubricas proposui, hîc velut proprio loco per modum brevium notarum repeterem, ut vel ex hoc etiam argumento tantò faciliùs cognoscat benevolus Lector, omnia aut pleraque certè, quæ huic libello inserta sunt, Rubricis conformia, aut saltem contraria non esse.

RUBRICÆ a. GENERALES b. BREVIIARIÏ. c.

A. Sic dictæ, quia olim, imò & nunc in Titulis & Capitulis ruber color adhibetur: per se autem nihil aliud sunt, quàm Leges & Directiones ad Officium Divinum, seu Horas Canonicas ritè recitandas præscriptæ.

B. Particulares enim in ipso corpore Breviarij annotantur; de quibus proin bene notandum est, quòd, ubi illæ aliquid generalibus hisce Rubricis contrarium statuunt, hoc ipso iisdem derogare censendæ sint.

C. Sic enim jam olim appellatus est hic liber preceptorius, preces ab Ecclesia præscriptas comprehendens, quia est breve & admirabile compendium Scripturæ, ut Lessius l. 2. de jure & just. c. 37. du. 8. notat. Vocantur tamen preces in Breviario contentæ vulgari nomine *Horæ Canonicae*, eò quòd è Sacrorum Canonum decreto sint persolvendæ, uti P. Gobat in compend. Hor. Can. s. 1. advertit.

Officium quotidie fit aut Duplex. d. aut Semiduplex. e. aut Simplex. f.

D. Sic dictum, quia Antiphonæ in Marutino, Laudibus & Vesperis duplicantur, id est, integræ ante & post Psalmos dicuntur.

E. Sic appellatum, quia sicut duplicia tres Nocturnos & novem Lectiones, binasque Vesperas habet; deficit verò à Solemnitate eorundem duplicium, quia nec Antiphonas duplicat, nec preces & Suffragia ordinariè excludit, ut Duplicia.

F. Sic vocatum, quia simplici ritu, nempe cum uno tantum Nocturno, & tribus Lectionibus celebratur.

TITU

TITULUS I.

DE OFFICIO DVPLICI.

I. Officium fit Duplex in diebus à Feria quinta in Cœna Domini usque ad Feriam tertiam Paschæ inclusivè, in Dominica in Albis. *g.* in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, & duabus diebus sequentibus, in Festo Trinitatis, Corporis Christi, Dedicationis propriæ Ecclesiæ; in Festis, quibus in Calendario apponitur hæc vox *Duplex*; in die Octava Festi habentis Octavam; in Festo Patroni. *h.* unius vel plurium alicujus loci, vel Titularis. *i.* Ecclesiæ: & in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari, cum Officijs proprijs à Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis authoritate receptis, vel recipiendis (servatâ tamen formâ hujus Breviarij) alioquin de Communi. *k.* etiamsi prædicta Festa in hoc Calendario non sint descripta. *l.* Præterea Officium fit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu depositione Defuncti *m.* ut in eodem Officio dicitur circa finem Breviarij.

G. Sic dictâ, quia olim Catechumeni hoc die baptizati vestibus albis induebantur.

H. Vocatur propriè Patronus, (quem aliqui perperam cum Titulari confundunt) quem Episcopus cum Populo sibi Patronum elegit, de quo vide p. 1. tit. 6. hujus Instructionis.

I. Titularis Ecclesiæ dicitur, sub cujus invocatione Ecclesia consecrata est.

K. Commune Sanctorum intellige, seu eam partem Breviarij, in qua Officia pluribus Sanctis communia in defectum proprij Officij designantur.

L. Qui-

L. Quibus addit Gavantus f. 3. c. 3. n. 10. Sanctos, quibus insignis Reliquia (puta caput, brachium, crus, &c.) ea pars corporis, in qua passus est Martyr, modò integra non parva sit, ut decidit S. Congregatio) habetur. In Translatio Patroni Principalis juxta Arnaudum tr. 2. p. 1. tit.

M. Gavantus f. 9. c. 2. n. 12. etiam diem tertium, Septimum, trigessimum & Anniversarium addit, cum in his Inventionarium, quod non nisi in solemnibus Officiis pro Defunctis dicitur, consuevit, recitari velit; & Rubricæ Missalis Missam in illis diebus perinde, ut in die depositionis, exceptis Orationibus dici præcipiant.

II. Festum Duplex celebratur eo die, quo celebratur, nisi illud contingat transferri, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

III. Habet primas & secundas Vesperas integras. nisi cum alio simili concurrat, o. ut dicitur in Rubrica de concurrentia Officij; & totum Officium fit de Duplici, incipiendo à primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, nisi aliter in proprijs locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum & Laudes, ut circa finem Breviarj ponitur.

N. Intellige de Sanctorum Festis, nam triduum ultimum Sacre Hebdomadæ, licet sub duplici ritu celebretur, non tamen habet primas Vesperas, cum omnis Feria Major in Matutino incipiat Officium.

O. Puta si Duplex per annum cum alio Duplici per annum in Vesperis concurrat, tunc enim dividunt Vesperas, ut de antecedente Psalmi, de subsequente reliquæ Vesperarum partes à Capitulo dicantur. Quòd si verò cum dissimili id est, primæ vel secundæ Classis Duplici concurrat, tunc vel omnino amittit jus ad Vesperas, vel solam commemorationem habet.

P. Uti fit in Festis infra Octavam Nativitatis Christi concurrentibus, quorum nullum habet integras Vesperas.

IV. In utrisque Vesperis, Matutino & Laudibus tantum, non autem in alijs Horis duplicantur Antiphonæ, q. id est, integræ dicuntur in principio & fine Psalmorum. r.

Q. Quod aded proprium est Duplicibus, ut omnibus omnino & solis conveniat, atque aded meritò illa denominationem ab hac duplicatione accipiant.

R. Nisi omnino omitti debeant, ut fit tempore Paschali, dum in singulis Nocturnis secunda & tertia Antiphona omititur.

V. Ad Matutinum regulariter s dicuntur tres Nocturni cum novem Psalmis, & totidem Lectionibus, t. hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, & tres Lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum, cum tribus Psalmis, & totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.

s. Propter binas Octavas Paschatis & Pentecostes mox infra exceptas; alia enim omnia Duplicia tres Nocturnos, & novem Psalmos ac Lectiones habent.

T. Ab his quippe Festa novem Lectionum denominantur.

VI. Preces u. ad Primam & Completorium x. & Suffragia de S. MARIA, Apostolis, & Pace. z. ad Vesperas & Laudes non dicuntur in Officio Duplici. a. ut etiam in proprijs eorum Rubricis dicitur.

V. Per preces has intellige Versiculos quosdam cum Responsorijs suis in Prima & Completorio annotatos.

X. Multò minùs Preces in Laudibus & Vesperis, & reliquis minoribus Horis dici solitæ dicuntur, ut quæ solis Ferijs Majoribus & Vigilijs propriæ sunt.

Z. Atque aded nec commemoratio de Cruce tempore Paschali, quæ tunc loco Suffragiorum dicitur.

A. Quod tamen privilegium non solis Duplicibus, sed etiam Semiduplicibus quibusdam, videlicet diebus infra Octavam; imò Suffragiorum carentia etiam Simplicibus quibus-

budam, nempe Feriis Adventûs & Majoris Hebdomadæ convenit.

VII. Quomodo sit ordinandum Officium Duplex in Vesperis, Matutino, & ceteris Horis; similiter & de Antiphonis, Responsorij, Versibus, Capitulis, & aliis in eo dicendis, habentur inferius singulis propriæ Rubricæ.

TITULUS II.

DE OFFICIO SEMIDUPLICI.

I. **O**fficium fit Semiduplex diebus Dominicis (exceptâ Dominicâ in Albis, *b.* in qua Duplex *c.*) & diebus infra Octavam *d.* Item in Festis, quibus in Calendario hæc vox *Semiduplex* apponitur. *e.* in Festis propriis quorundam locorum. *f.* quæ solemnius apud illas, quàm Simplicia, consueverunt celebrari.

B. Non, quòd dies Octava sit Paschatis, cum ritum diebus Octavæ Paschatis penitus diversum habeat; sed quòd forsè illo die solemnis Baptismus celebrabatur.

C. Quibus adde etiam Dominicam Paschatis, Pentecostes, & Trinitatis, quamvis hæc Festa potiùs, quàm Dominicæ dicenda sint.

D. Vocantur Dies infra Octavam sex illi dies, qui infra Festum & ipsam diem Octavam intercedunt.

E. Nisi propter formalitatem Patroni aut Titularis, propter insignem Reliquiam inter Duplicia numerentur.

F. Qualia v. g. sunt Translatio Patroni minùs principalis: Festum Sancti, cujus Reliquia non insignis habetur, & S. Congregatione ejusmodi Festum concedatur.

II. In Festo Semiduplici fit eo die, quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicitur in Rubrica Translatione Festorum.

III. Habet totum Officium integrum. *g.* fit Duplex; sed non duplicantur Antiphonæ.

G. Hoc est, primas & secundas Vesperas cum reliquis Horis integras, nisi per occursum vel concursum cum Duplicibus easdem amittat.

IV. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Paschæ & Pentecostes Octavas, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis, & totidem Lectionibus. Et regulariter, quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi, & totidem Lectiones. *h.* exceptis ijs Dominicis, in quibus fit Officium, ut in Psalterio; *i.* quæ habent octodecim Psalmos.

H. Unde & hæc Festa vocari solent Festa novem Lectionū.

I. Quales sunt omnes Dominicæ præter eas, quæ infra Octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi cadunt; hæ enim perinde ut ipsa Festa, novem duntaxat Psalmos habent.

V. Quomodo sit ordinandum Officium Semiduplex tam in Festis, quàm in Dominicis, & infra Octavas; item & de Antiphonis, Versibus, Responsorijs & hujusmodi alijs; & quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam, & Completorium, & Suffragia de Sanctis ad Vesperas & Laudes, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

TITULUS III.

DE OFFICIO SIMPLICI.

I. **O**fficium fit Simplex in diebus Ferialibus, quando occurrit fieri de Feria. *k.* item in Festis, quibus in Calendario non apponitur vox *Duplex* vel *Semiduplex*, vel de Octava: Item quando fit de B. MARIA in Sabbato. *l.* ut in ejus Rubricis dicitur.

K. Id est, tali die, in quem nullius Sancti Festum aut Vigilia, nec B. MARIA in Sabbato cadit.

G 2

L. Adde

L. Adde Dominicas, quæ, quia suo loco celebrari non possunt, per anticipationem transferuntur in præcedentem hebdomadam. Item Vigiliis, quæ Duplici aut Semiduplici ritu non celebrantur.

II. De Festo Simplici fit eo die, quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum *m.* vel de S. MARIA in Sabbato *n.* vel de aliquibus Ferijs, quibus Festum simplex cedit, ut dicetur in Rubricis de Ferijs, & de Commemorationibus. *p.*

M. Id est, Duplex aut Semiduplex.

N. Nam huic velut digniori merito cedunt reliqui Sancti.

O. Quales sunt Feriæ Majores Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & dies secunda Rogationum.

P. Quibus etiam Vigiliæ Sanctorum addendæ sunt; nec & his Festum ejusmodi Simplex cedere debet.

III. Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi FERIALES *q.* & à Capitulo fit de Festo, nisi cum eo concurrat Festum novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officij: ejus Officium terminatur ad Nonam, & nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.

Q. In Psalterio illâ Feriâ, in quam Simplex ejusmodi cadit, notati.

R. Nisi Festum novem Lectionum sit primæ vel secundæ Classis; tunc enim nec commemoratio de Simplici in Vesperis facienda est.

IV. Ad Matutinum post Invitatorium & Hymnum de Festo, *s.* dicitur unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio secundum Feriam, quæ occurrit. *t.* & tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubricis de Lectionibus dicetur.

S. Qui plerumque ex Communi Sanctorum sumuntur.

T. Id est, in eandem diem, quo Festum Simplex celebratur, cadit.

V. Quomodo sit ordinandum Officium Simplex ad Vesperas, Matutinum, & alias Horas; item de Antiphonis, Versibus, Responsorijs, & alijs, ac quando Preces & Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriæ Rubricæ.

TITULUS IV.

DE DOMINICIS.

I. **D**E Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventûs, & in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusivè *u*, quocunque Festo Duplici vel Semiduplici adveniente; quia tunc Festum transfertur (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicitur) nisi illud Festum sit de principali Titulo vel Patrono alicujus Ecclesiæ, vel loci, aut Dedicatione propriæ Ecclesiæ; quia tunc de hujusmodi Festo fit tantum in Ecclesia, vel loco, cujus est Titulus, vel Patronus, vel Dedicatione cum commemoratione Dominicæ, quibusdam Dominicis exceptis *x*, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus. In alijs Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum Duplex, quia tunc fit de Duplici cum commemoratione Dominicæ, in utrisque Vesperis & Laudibus *z*, & ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus. Si Semiduplex eo die occurrat, transfertur, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

V. Quia hæ Dominicæ sunt privilegiatæ, utpote primæ & secundæ Classis,

X. Nempe Dominicis primæ Classis, quæ nulli Feb
cedunt.

Z. Nisi tale Duplex in secundis Vesperis concurrat cu
Duplici primæ vel secundæ Classis; tunc enim de Domin
nulla fit commemoratio.

II. De Dominicis infra Octavam Nativitatis
Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi occu
rentibus Officium fit, sicut infra Octavam, & i
Proprio de Tempore cum Commemoratione Octa
væ, & sine Precibus & Suffragiis Sanctorum,
Dominicis verò, quæ occurrunt infra alias Octava
totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio,
Proprio de Tempore, cum commemoratione Octa
væ, omissis etiam dictis Precibus & Suffragiis,
suprà. De Dominica occurrente in die Octava
commemoratio, sicut dictum est, quando in ea
de Festo Duplici. a. præterquam in die Octava
Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ep
Officium ponitur in Sabbato præcedente. b.

A. Nam & ipsa Dies Octava inter Duplicia numerat

B. Quod propterea fit, teste Gavanto l. 6. c. 7. n. 8. &
Evangelium diei Octavæ, quod est de Christo trigesimo
annum agente & baptizato, legatur ante Evangelium
Christo duodenni, quod in Dominica legendum est. Sed ha
ratio probaret, etiam Evangelium infra Octavam Nativit
tis opportunè non esse præscriptum, cum ibi agatur de Ch
sto jam quadragesimum diem superante, atque adeò præmi
ti non debuisset Festo Circumcisionis, quod de Christo n
nisi octo dies nato agit; tota ergo causa in arbitrium Eccl
æferenda est, nisi dicere quis velit, inter octo & quadrag
dies non tantum esse intervallum, quantum inter duodec
& triginta annos intercedit. Quòd autem idem Gavant
n. 9. addat, si dies Patroni aut Titularis in Sabbatum an
cedens Octavam Epiphaniæ incideret, de Dominica tant
commemorationem faciendam, & nonam Lectionem dice
dam esse, sicut idem fieri solet, si aliqua ex sequentibus ha

domadis anticipanda in dies tota hebdomade impeditos incidere, meritò dubium videri potest, cùm enim hæ ipsæ Dominicæ, si Feria sexta impedita non foret, è Sabbato impedito ad hanc Feriam transferendæ essent, cur non idem de hac etiam Dominica dicendum erit, cùm Feria sexta diem Octavam Epiphaniæ antecedens sit æquè ac Sabbatum dies infra Octavam Epiphaniæ, atque adeò non magis dies impedita, quàm Sabbatum censerì debeat.

III. Positum est autem Officium sex hebdomadarum post Epiphaniam, & viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, & à Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea commemoratio fiat; nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam, ante Septuagesimam ponuntur post vigesimam tertiam à Pentecoste, hoc ordine.

IV. Si Dominicæ post Pentecosten fuerint XXV. Dominica XXIV. post Pentecosten erit, quæ est VI. post Epiphaniam. Si fuerint XXVI. Dominica XXIV. erit, quæ est V., & XXV. quæ est VI. Si fuerint XXVII., Dominica XXIV. erit, quæ est IV., & XXV. quæ est V., & XXVI. erit VI. Si fuerint XXVIII., Dominica XIV. erit III., & XXV. erit IV., & XXVI. erit V., & XXVII. erit VI. & ultimo loco semper ponitur, quæ est ordine XXIV. post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint, nisi XXIII. Dominicæ. Tunc enim XXIV. ponitur loco XXIII. & Officium XXIII. ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum Festo novem Lectionum; alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat Officium de Feria cum commemoratione Festi Simplicis. c. si occurrat, & in ea legantur tres Lectiones de Homilia

Dominicæ, omiſſis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ. *d.* & in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, & oratio de Dominica XXIII. Quòd ſi tota hebdomas impedita ſit Feſtis novem Lectionum etiam translatis, vel aliquâ Octavâ, tunc in Sabbato legatur nona Lectio, de Homilia Dominicæ XXIII. & de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum cum Antiphona & Oratione propria.

C. Quia, licet hoc Officium ſub ritu ſimplici ad modum Feriæ celebretur, nec ſit major FERIA, eſt tamen Dominica celebrata ſub ritu ſimplicis, atque adeò perinde præferenda eſt Feſto ſimplici, ſicut Dominica, quæ ut ſemiduplex celebratur, ipſis Feſtis ſemiduplicibus præfertur.

D. Non tamen Reſponſoriis huic Feriæ reſpondentibus.

V. Cùm verò interdum contingat, ut Dominica III. vel IV. vel V. vel VI. poſt Epiphaniam ſuperſit, nec poſſit poni etiam poſt XXIII. à Pentecoſte tunc de ea fiat in Sabbato ante Dominicam Septuageſimæ *e.* ut dictum eſt ſuprà numero præcedente.

E. Aut ſi hæc dies impedita eſt, in FERIA VI. vel alio reſcedente die non impedito.

VI. De Dominica ſecunda poſt Epiphaniam quando Septuageſima venerit immediatè poſt Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum ſit Officium habetur in propria Rubrica ante Dominicam primam poſt Epiphaniam. *f.*

F. Transferenda ſcilicet erit hæc Dominica in præcedens Sabbatum, aut ſi hoc impeditum ſit, in primam diem ſequentis hebdomadæ Feſto Duplici non impeditum; unde in tali caſu ex ſpeciali diſpoſitione ſemiduplex ſimplici Feſto cedere debet. Quòd ſi verò tota hebdomas poſterius Duplicibus impedita foret, tunc in præcedente Sabbato commemoratio tantum Dominicæ erit facienda, omiſſis Reſponſoriis de Tempore, uti Gavantus ſ. 6. c. 8. n. 4. monſtrat ubi etiam n. 2. duas cauſas affert, cur de hac Dominica ſpe-

cialis hæc dispositio, quæ nulli alteri Dominicæ communi conceditur, sit facta; nempe primò, ut ordine historico servato de vita Christi legatur post ejus Baptismum, primum Miraculum in Cana Galilææ factum, antequam quidquam aliud in sequentibus Dominicis de eo narretur. Secundò, ut Officia & Responsorialia Dominicarum post Epiphaniam semel saltem dicantur suo tempore proprio, nec omnino omitantur.

VII. Cùm autem in proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima Mensis, in qua primò ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est, cum Responsorialibus, animadvertendum est, eam dici primam Dominicam Mensis, quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis hoc modo: Si Kalendæ venerint in II. III. & IV. Feria, Dominica prima erit, quæ præcedit Kalendas, licet veniat in præcedenti mense; si autem Kalendæ venerint in quinta aut sexta Feria & Sabbato, prima Dominica mensis erit, quæ sequitur post ipsas Kalendas. *g.* Dominica autem prima Adventûs non sumitur ea, quæ est proximior Kalendis Decembris, sed Festo S. Andreae, vel quæ venerit in ipso Festo.

G. Brevius loquendo illa erit Dominica prima mensis, quæ vel cadit in tres ultimos dies hebdomadæ antecedentis Kalendas; vel in quatuor primos dies hebdomadæ sequentis Kalendas. Quod idem etiam cum proportionem de prima Dominica Adventûs respectu Festi S. Andreae dicendum erit.

VIII. Officium Dominicæ fit Semiduplex, *h.* & incipit à primis Vesperis in Sabbato, & habet totum Officium integrum usque ad Completorium Dominicæ inclusivè, nisi cum aliquo concurrat, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officij.

H. Excipe Dominicam in Albis, quæ, ut alibi dictum, sub ritu Duplicis celebratur.

IX. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio, *i.* & leguntur novem Lectiones de Tempore.

l. Nisi sit Dominica privilegiata v.g. infra Nativitatem, Epiphaniam &c. cadens, quæ novem tantum Psalmos, ut ipsa Festa habent.

X. Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper & de Lectionibus, Responsorii, & aliis; & quomodo initia librorum Scripturæ cum sua historia *k.* sint ponenda, habentur de singulis inferius propriæ Rubricæ.

k. Id est, Responsorii, quæ *historia* teste Gavanto *l. 5. c. 13. n. 1.* à Micrologo & Radulpho vocantur, quia profertur historiam Sacræ Scripturæ in præcedenti Lectione lectam, & secundum ordinem historiæ ordinata sunt.

TITULUS V.

DE FERIIS.

I. Officium Feriale, hoc est, Simplex de Tempore *l.* occurrenti, prout in Psalterio & Proprio de Tempore habetur, fit semper in Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Feria secunda Rogationum *m.* quando infra hebdomadam non occurrit Festum Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava; quia tunc de hujusmodi Festis fit commemoratio, *n.* ut dicitur in Rubrica commemorationibus. Si verò in eis occurrit Festum Simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit Officium de Feria illis diebus, quibus infra hebdomadam in Calendario non ponitur aliquod Festum Duplex, Semiduplex, vel Simplex, & non occurrit aliqua Octava, vel Officium S. MARIE in Sabbato, vel aliquod Festum

solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, o. quamvis in Rubrica hujus Breviarij non descriptum.

L. Per quam vocem in Rubricis intelligitur dies, in quam nullum Officium de Sancto (includendo etiam Vigiliis & Octavas eorundem, & B. Virginem in Sabbato) cadit, quæ si simplici ritu celebretur, *Feria* ordinariè (quod addo propter Dominicas translatas, quæ etiam simplici ritu celebrantur) appellatur; si autem semiduplici ritu, Dominica vocatur.

M. Quæ ideo *Feriæ* Majores dicuntur, eò quòd de illis semper fiat commemoratio, & omni Festo Simplici præferantur; exceptâ Vigiliâ, quæ inter *Ferías* majores non numeratur, quia, licet pariter Simplicibus præferatur, non tamen de ea semper fit commemoratio, ut in sequenti titulo patebit.

N. Nisi *Feria* privilegiata sit, id est, talis, cui omne Festum cedere debeat, qualis est *Feria* quarta Cinerum.

O. Aut Officium de Dominica aliqua translata dicendum sit.

II. Officium *Feriæ* in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & primâ die Rogationum *p.* incipit à Matutino; in aliis verò *Feriis* per annum inde fit *q.* de *Feria*, ubi desinit Officium præcedentis diei, ita, ut si præcedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Officium *Feriæ* sequenti die incipiat à Matutino; si præcedenti die idem Festum fuerit Simplex, de *Feria* fiat à Vesperis illius præcedentis diei inclusivè. *r.* Similiter & quando in *Feria* quarta & sexta quatuor Temporum Septembris, & in *Feria* quarta Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod Festum Simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc præcedenti die (nisi fuerit Festum novem Lectionum) in Vesperis fit de *Feria*, ut in Psalterio, sine precibus cum oratione Dominicæ præcedentis, & cum commemoratione Festi trium Lectio-

num s in sequenti. Feria occurrentis, ut dicitur infra in Rubrica de Concurrentia. Terminatur autem Officium de Feria, subsequente Duplici vel Simpliciter, si duplex ad Nonam: subsequente verò Simpliciter de quo fieri debet Officium, ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo Simpliciter absque ulla inceptu commemoratione Feriæ. t.

P. Rogationum dies vocantur tres dies ante Festum Ascensionis, eò quòd illis diebus Ecclesia varias Processiones instituere, Deumque pro variis malis avertendis, bonis impetrandis ferventiùs rogare soleat.

Q. Intellige initium Officij de Feria.

R. Si sequenti die Feria Major aut Vigilia subsequatur, si enim alia Feria minor sequeretur, tunc non à Vesperis præcedentis, ut ait Rubrica, sed subsequentis fieret initium, et Vesperæ illæ ad subsequentem Feriam pertineant.

S. Quia, licet Simplex haberet per se jus ad primas Vesperas à Capitulo dicendas, amittit tamen illud per occursum sequenti die, ob quam non potest de eo dici Officium sequenti die, atque adeò nec primas Vesperas habere debet.

T. Si autem alia Feria Minor sequeretur, totas Vesperas primas, imò & sequenti die etiam secundas sibi vindicant, si post illam Feria Major aut Vigilia sequeretur, quia tunc harum Officium primùm à Matutino inciperet.

III. Ad Matutinum dicitur unum tantùm Matutinum ætèrnum cum duodecim Psalmis, secundùm ordinem Feriarum in Psalterio, ii. & tribus Lectionibus, ut in Proprio x de Tempore.

V. Psalterium vocatur illa Pars Breviarij, in qua Psalmi in Dominica & Ferijs dicendi notantur.

X. Proprium de Tempore appellatur illa Pars Breviarij, in qua Lectiones in Ferijs, & Festis Domini, ac Dominice legendæ designantur.

IV. Excipiuntur ab hoc Ordinario Officij Feriæ tres Feriæ Majores, & Hebdomadæ sanctæ.

Feria Octavarum Paschæ & Pentecostes. *a.* de quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.

Z. Nempe Feria quinta, sexta & Sabbatum, quæ ritu Duplici celebrantur, ideoque novem Psalmos, totidemque Lectiones habent.

A. Sed hæ exceptione opus non habuissent, cum tanquam dies infra Octavam ritu Semiduplici vel Duplici celebrentur, atque adeo inter Ferias propriè dictas, de quibus hoc loco agitur, non sint numerandæ.

V. Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum, & alias Horas, item de Lectionibus & Responsoriiis, & quando dicendæ sint Preces feriales, ac de aliis, quæ ad Officium Feriæ pertinent, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

TITULUS VI.

DE VIGILIIS.

I. **D**E Vigiliis *b.* fit Officium in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur, ubi in Calendario annotatur hæc vox *Vigilia*, nisi in die Vigiliæ occurrat Festum novem Lectionum vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, & fit commemoratio de ea ad Laudes tantum cum Antiphona *Ad Benedictus*, & Versu Feriæ occurrentis de Psalterio, & oratione Vigiliæ, præterquam in illis Festis Majoribus, *c.* quæ inferius excipiuntur.

B. Sic vocabantur olim Profesti dies, quia Christiani de nocte in iisdem vigilare & psallere, & jejunare de die consueverant; quâ tamen vigilandi consuetudine ob graves causas sublatâ, Vigiliæ nomen cum jejunio retentum est.

C. Puta in Duplicibus primæ Classis, & Ferijs Majoribus, in quibus nulla fit commemoratio de Vigilia, nisi de Vigilia Epiphaniæ, quæ privilegiata est.

II. Si

II. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Festum novem Lectionum; quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis & Epiphaniæ Dominicæ quæ si venerint in Dominica, fit de illis, uti in proprijs Rubricis dicitur. *d.* Si autem in Vigilia occurrat Festum: solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferiùs in Rubrica commemorationibus numerantur (veluti, si in Vigilia S. Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi) nihil tunc prorsus, nec commemoratio de Vigilia, *e.* exceptâ Vigilia Epiphaniæ. Idem servetur, quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima, aut Quatuor Temporibus; nulla enim in illis Ferijs de Vigiliis fit commemoratio.

D. Quia hæ Vigiliæ sub Semiduplici & Duplici ritu celebrantur, ideoque Majores vocantur.

E. Nisi ex Ordinarij dispositione jejunium cum Vigilia in antecedentem diem transferatur, uti in aliquibus Diocesis contingit, & ut in omnibus fieret, valde optandum esse, ait Gavantus l. 3. c. 7. n. 3.

F. Eò quòd Feriæ Majores sint Feriæ Domini; Vigiliæ autem Feriæ Servorum, quæ proin meritò cedunt, inquit Gavantus l. c. n. 4. cum de utrisque non possit fieri Officium eò quòd utrumque Homiliam cum Evangelio habeat, non quam autem in Festo trium Lectionum duo Evangelia dicitur soleant. Verùm hæc ratio solùm probat, quòd Evangelium & nona Lectio de Vigilia dici non debeat; non autem excipit, quòd non saltem commemoratio in Laudibus de Vigilia fieri posset, sicut interdum de Simplicibus Festis, si nona Lectio de iisdem ob justam causam dici non possit, tamen commemoratio in Laudibus. Dicendum ergo erit, hoc speciale privilegium, aut potius requisitum Vigiliarum esse, si de ijs Officium aut nona Lectio dici non queat, etiam commemoratio de iisdem omittatur.

III. Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est in Superiore Rubrica de Ferijs; terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo.

IV. Officium Vigiliæ totum fit de Feria occurrenti, ut in Psalterio; & tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, g. cum tribus Responsoriiis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriiis præscripto. Dicuntur Preces Feriales h. & Commemorationes communes, aliâque omnia, sicut in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum: de quibus & de aliis circa ordinandum ejus Officium habentur inferiùs propriæ Rubricæ.

G. In proprio videlicet Sanctorum, aut in defectu hujus in Communi Sanctorum.

H. Sic dictæ, quia in solis Ferijs dicuntur, & nihil aliud sunt, quàm Versiculi quidam & Responsoria post Cantica in Laudibus & Vesperis, in Minoribus verò Horis post Responsoria breviter dici soliti.

V. Excipitur ab hoc Ordinario Vigiliarum, quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes, quæ cum tribus Nocturnis sub Officio Semiduplici celebratur, ut ibi; & Vigilia Nativitatis Domini, quæ, Nocturno Feriæ excepto, in Laudibus & Horis habet reliquum Officium Duplex. In Vigiliis verò Epiphaniæ & Ascensionis, quæ non jejunantur, fit Officium, ut propriis locis notatur.

TITULUS VII.

DE OCTAVIS.

I. **D**E OCTAVA fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo Festo vel Dominica impo-

imp-

impeditur) per octo dies continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis quibus in Calendario apponitur Octava; item in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, & in Festo Principalis Patroni, & Titularis loci vel Ecclesiæ, in Festis aliorum Sanctorum *i.* quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, & Religiones consueverunt solemniter celebrari, nisi illa Festa venerint in Quadragesima, *k.* quo tempore omittitur Officium cujuscunque Octavæ. Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulò ante Quadragesimã venerit, etiam si per aliquot dies etiam sit Officium de Octava illius, adveniente Quadragesima nihil ampliùs fit de ea, nec commemoratio. *l.* Et idem servatur de Octavis nondum solutis, quando supervenit Festum Pentecostes & dies decima septima Decembris *n.*

I. Qualis præcipuè est Fundator Ordinis, qui apud Religiosos Patrono primario loci æquiparatur.

K. Quia, cum ibi singulæ Feriæ habeant proprias Festas, non decet eas per prorogationem Festorum impediri, quam ob causam olim nulla Festa in Quadragesima celebrabatur.

L. Quod ita intelligit Gavantus *l. 3. c. 8. n. 9.* ut jam Vesperis debeat omitti Officium de Octava, eò quòd sequenti die Matutinum de Octava non sit dicendum, atque nec ipsæ Vesperæ, sed cum eadem Vesperæ non tantum sequenti diei infra Octavam tanquam primæ, sed etiam precedenti diei tanquam secundæ debeantur, non video, cur sub hoc respectu dici debeant.

M. Cum enim à Vigilia Pentecostes usque ad Dominicam Trinitatis propter solemnitatem hujus Festi omne alius Festum, etiam Dedicationis, & Patroni excludatur, magis decet, ipsas etiam dies Octavarum velut Semiduplicium tantum excludi.

N. Quia decet, inquit Gavantus l. c. ut Natalis Domini, sicut Pascha habeat quasi Octavam ante & post, licet non æquali ritu celebratam.

II. In Pascha Resurrectionis & Pentecostes Officium Octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam. o.

O. Ob sequens scilicet Festum; & quia ipsa etiam horum Festorum Vigilia solemniori ritu celebrata pro die Octava computari potest.

III. Infra Octavas fit de Festis Duplicibus & Semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis, ut dicetur infra de Translatione Festorum n. 5. cum commemoratione Octavæ, nisi illa Festa sint de Solemrioribus p. enumeratis in sequenti Rubrica de Commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschæ & Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam Principali Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, vel Dedicatione ejusdem, sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, & de Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava q.) cum commemoratione Octavæ. r. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, cum commemoratione Octavæ; de Semiduplicibus verò infra eam non fit, s. sed transferuntur post Octavam, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum. De Simpli- cibus infra quascunque Octavas occurrentibus fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus post Pascha & Pentecosten, ut dicitur in se-

Instruct. II.

H

quenti

quenti Rubrica de commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium, dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si die Octavæ simul concurrant (ut Octava S. Joannis Baptistæ, & Corporis Christi, vel Octava Patroni, & Titularis Ecclesiæ cum alia Octava) quando fuerint celebranda Festa novem Lectionum, si dies Dominicus, fit Officium de digniori eorum commemoratione alterius. De die autem Octavæ cujuscunque Festi fit totum Officium Duplex cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava, servetur, quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

P. Puta Duplicia primæ vel secundæ Classis.

Q. Hinc istæ duæ Octavæ vocantur Octavæ primæ Classis, quia sunt similes Duplicibus primæ Classis in exclusione Festorum.

R. Et propterea vocatur Octava secundæ Classis.

S. Ob quam causam Octava tertiæ Classis appellatur.

T. Dignitas autem ista ex diversitate Classium desumenda est; in eadem autem classe Personæ hoc ordine attenduntur juxta Gavantum l. 3. c. 8. n. 6. ut primum locum dignitatis obtineat Christus, secundum B. Virgo, tertium S. Joannes Baptistæ, Apostoli, Martyres &c. juxta Litaniarum ordinem, Dedicacionis verò Octava dignior quoque, quam Patroni & Titularis censenda fit.

IV. Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis, & novem Lectionibus (exceptis Octavis Paschæ & Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur) & omnia dicuntur, sicut in die Festi. præter Lectiones, quarum primæ tres semper sunt de Scripturis occurrente in Officio de Tempore. x. præterquam infra Octavam Assumptionis B. MARIÆ, in quibus

singulis diebus sunt positæ Lectiones propriæ de Canticis Canticorum; aliæ Lectiones secundi & tertij Nocturni dicuntur, quæ infra Octavam positæ sunt. Infra Octavam verò Patroni vel Titularis Ecclesiæ, aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriæ & approbatæ Lectiones pro secundo & tertio Nocturno infra Octavam, repetantur Lectiones positæ in Comuni Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava; alioquin Lectiones diei Festi.

V. Excipe Epiphaniæ Octavam, in qua non omittitur Invitatorium cum Psalmo *Venite*, sicut in ipso Festo omittitur.

X. Intellige de solis diebus infra Octavam; nam ipsâ die Octava in primo Nocturno Lectiones Festi reassumuntur, ut in Rubrica de Lectionibus n. 9. dicitur.

V. Infra Octavam Officium fit Semiduplex *a.* in die Octava Duplex; In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur, sicut in secundis Vesperis Festi *b.* & in primis Vesperis diei Octavæ omnia, sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.

A. Excipe Feriam secundam & tertiam Octavæ Paschæ & Pentecostes.

B. Non tamen duplicantur Antiphonæ, sicut in Vesperis Festi.

VI. Infra Octavam non fiunt Suffragia consue- ta de Sanctis: nec dicuntur Preces ad Primam & Completorium, *c.* etiamsi fiat Officium de Domini- ca, vel Festo Semiduplici. In aliis quomodo ordi- nandum sit Officium de Octava, habentur inferiùs propriæ Rubricæ.

C. Quia, cum dies Octavæ sint prorogatio Festi, decet,

ut, sicut in ipso Festo hæc Suffragia & Preces excluduntur
ita nec in diebus infra Octavam admittantur.

TITULUS VIII.

DE OFFICIO S. MARIE IN
SABBATO.

I. **I**N omnibus Sabbatis per annum extra Adventum, Quadragesimam, &, nisi Quatuor Tempora aut Vigilæ occurrant, vel nisi fieri debeat Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra hebdomadem ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; & nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Pascha & Pentecostes, semper fit Officium de S. MARIA eo modo, quo fit in Festo Simplici, *d.* quemadmodum circa finem Breviarj disponitur. De Festo autem Simplici in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.

D. A Capitulo scilicet Vesperarum præcedentis diei cum tribus Lectionibus, ut n. 3. clarius dicitur.

II. Cùm verò supradictis diebus fieri non potest Officium de S. MARIA, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum, sed tantum in Simplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur *e.*) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio per Vesperas Sabbati.

E. Nam in eo casu non fit commemoratio de illa Suffragia, cùm mox integra Hora de illa dicenda fit; deceat autem de eodem simul commemorationem & Officium fieri, nisi B. V. sit Titularis Ecclesiæ.

III. Ejus Officium in Sabbato incipit Feriâ secundâ ad Modum Festi Simplicis à Capitulo, & terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feriâ sextâ occurrat Officium novem Lectionum, in Vesperis fit

tum commemoratio de S. MARIA cum Antiphona, Versu & Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem B. MARIA, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est. *f.*

F. Ne bis explicitè ejusdem in eadem Hora fiat mentio in Orationibus, & ne de eadem fiat commemoratio simul & Officium.

IV. Ad Matutinum post Invitatorium & Hymnū de S. MARIA, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis Ferialibus, ut in Psalterio *g.* Versus de S. MARIA, prima & secunda Lectio ex Scriptura de Tempore occurrenti; tertia Lectio, & alia omnia tam in Matutino, quàm in Laudibus & Horis, ut in Officio S. MARIE in Sabbato assignatur.

G. Ex quo tamen Psalmi pro Laudibus non sumuntur, sed ex Dominica, vel Officio parvo B. Virginis.

V. Dicuntur Preces Dominicales *h.* ad Primam & Completorium, & fiunt Suffragia consueta de Apostolis & Pace; & Tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragijs, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

H. Sic dicuntur ad distinctionem à Ferialibus Precibus, quæ in nulla unquam Dominica dicuntur.

TITULUS IX.

DE COMMEMORATIONIBVS.

I. **C**ommemorationes *i* fiunt de Festis Simpli-
cibus, quando in eorum diebus incidit Fe-
stum novem Lectionum, etiam translatum, vel Do-
minica, vel Octava, vel Sabbatum, & quando fieri

H 3

debet

debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominicæ, quæ in anno superfuit.

I. Commemorationis nomine hîc nihil aliud intelligitur, quàm recitatio certæ cujusdam Antiphonæ cum Versiculo & Responsorio, ac Oratione in solis Laudibus & Versibus dici solitæ.

II. De Feriis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, k. & secundæ Rogationum fit commemoratio, quando Festum novem Lectionum in illis Ferijs occurrit. Si simplex Festum in eisdem Ferijs occurrit, Officium fit de Feria, & commemoratio de Festo simplici.

K. Nisi illud Festum sit primæ Classis, tunc enim de Vigilia, nulla fieret commemoratio.

III. Præterea fit commemoratio de Dominicis à Pentecoste usque ad Adventum, & ab Epiphania usque ad Septuagesimam, & à Dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusivè, quando Festo Duplici impediuntur. De alijs Dominicis l. nulla fit commemoratio occurrente Festo Duplici, quia Festum in illis transfertur, nisi illud Festum fuerit Principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, non autem alicujus Capellæ vel Altaris ejusdem Ecclesiæ, & tunc de hujusmodi Principali Festo fit tantùm in eo loco vel Ecclesia, cujus est Patronus, vel Titulus, vel Dedicatio cum commemoratione Dominicæ; exceptâ primâ Dominicâ Adventûs, Dominicâ primâ Quadragesimæ, Dominicâ Passionis, Dominicâ Palmarum, Dominicâ Paschæ, Dominica in Albis, ac Dominicâ Pentecostes & Trinitatis, in quibus hujusmodi occurrens Festum transfertur in sequentem diem similiter non impedita, dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam.

domadam, *m.* & per Octavam Paschæ & Pentecostes, quibus diebus non fit de aliquo Festo Duplici occurrente.

L. Intellige Dominicas primæ & secundæ Classis in Tabula Festorum notatas.

M. Major hebdomas vocatur ultima hebdomas Quadragesimæ, eò quòd ibi Mysterium Redemptionis humanæ per Passionem Christi factæ specialiter recolatur.

IV. De Octava etiam, quando Festo novem Lectionum, vel Dominicâ impeditur, fit commemoratio, nisi illud Festum novem Lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, *n.* ut supra; nam in primis Vesperis & Laudibus hujusmodi Festi nulla fit commemoratio Festi simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ (exceptâ Vigiliâ Epiphaniæ *o.*) nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Festi novem Lectionum (nisi id Festum fuerit ex ijs, quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur) nec diei Octavæ, nec Dominicæ, si Festum illud solemne celebretur Feriâ secundâ, exceptis Dominicis Adventûs, & Dominicis à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusivè, de quibus Dominicis, sicut etiam de Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum & Feriæ secundæ Rogationum fit commemoratio quocunque Festo adveniente. Quòd si hujusmodi Festum solemne venerit in quacunque Dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis & Laudibus. Et similiter, si occurrat in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, de ea fiet commemoratio etiam in utrisque Vesperis & Laudibus. In secundis autem Vesperis Festi prædicti fit commemoratio de Duplici, Semiduplici *p.* & Dominica sequentibus, & non de alijs.

N. Puta Patroni, Tituli, vel Dedicacionis.

O. Quæ privilegiata est, ut de ea semper fieri debeat commemoratio.

P. Festo intellige, nam de diebus infra Octavam, licet æquæ sint Semiduplicia, non fit commemoratio in secundis Vesperis talis Festi.

V. Idem servatur in quibusdam Festis Majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cuius Officio nulla fit commemoratio de S. Ananias, sed in secunda tantum Missa) in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proximè antecedentibus, & duobus proximè sequentibus diebus, in Pentecoste cum duobus sequentibus diebus, in Festo Corporis Christi, in Festis Natalitijs S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis B. MARIÆ, in Festo Omnium Sanctorum, & in Festo Dedicacionis propriæ Ecclesiæ, quibus Festis fiunt Commemorationes eo modo tantum, quo dictum est.

¶ Quibus etiam Festum S. Stephani Protomartyris non improbabiliter addit Andreas Castaldus in Cærem. Clericor. Reg. l. 3. c. 5. n. 1. eò quòd huic Festo cedat Festum secundæ Classis, scilicet S. Joannis Apostoli in primis Vesperis.

VI. In Festis autem secundæ Ordinis, videlicet Circumcisionis, Trinitatis, Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis B. MARIÆ, in Natalitijs duodecim Apostolorum s. & Evangelistarum, in Festo Inventionis S. Crucis, in Festo S. Laurentii, & Dedicacionis S. Michaëlis Archangeli, in primis Vesperis fit commemoratio Festi Duplicis eo die celebrati, nisi aliter in locis proprijs notetur: de Dominica verò, de die infra Octavam, & de Festis Semiduplicibus non fit commemoratio eo modo quo nec in solemni Festo alicujus loci, ut dictum est

suprà. De Simplicibus & Vigilijs in his Festis occurrentibus legitur nona Lectio, & fit commemoratio in Laudibus tantùm. *u.* In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocunque sequenti Festo, etiam Simplici, & de die infra Octavam, si de ea fieri debeat Officium sequenti die. De Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Christi semper fit commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus, quodocunque contigerit intra illas de aliquo alio Festo Officium celebrari juxta Rubricam de Octavis n. 3.

R. Id est, secundæ Classis, prout in Tabula Festorum vocantur.

S. Non tamen SS. Petri & Pauli; hi enim Duplicibus primæ Classis enumerantur.

T. Quibus Gavantus & alij Festum SS. Innocentum, imò & S. Stephani contra Castaldum paulò antè citatum addunt.

V. Per hoc enim maximè Duplicibus primæ Classis dignitate cedunt, & ab iisdem distinguuntur.

VII. De Dominicis & Festis Adventûs, & Quadragesimæ Commemoratio fit in utrisque Vesperis & Laudibus. De Ferijs Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Feriâ secundâ Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantùm. De Festis autem Simplicibus (nisi in diebus supradictis *x.* occurrant) commemoratio fit in primis Vesperis & Laudibus eo die, quo in Kalendario assignantur. De alijs verò Dominicis per annum & Octavis commemoratio fit in utrisque Vesperis & Laudibus, nisi concurrant cum suprà enumeratis Festis. *z.*

X. Duplicibus primæ Classis intellige.

Z. Scilicet Duplicibus primæ & secundæ Classis; tunc enim in primis illorum Vesperis nulla fit commemoratio Dominicæ.

VIII. Commemorationes fiunt hoc modo. Post orationem diei in primis Vesperis dicitur Antiphona, quæ posita est ad *Magnificat*, & in Laudibus, quæ posita est ad *Benedictus* in Communi (si propria non habuerit) conveniens ejus Officio , cujus est commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus inde sumendus, unde Antiphona sumpta est, scilicet post Hymnum Vesperarum & Laudum : deinde dicitur Oratio. Si Antiphona & Versus Festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo Commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, & in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signentur. Et similiter, si in secundis Vesperis S. Agathæ aut alterius Sanctæ novem Lectionum fieri debeat commemoratio B. MARIÆ pro ejus Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur bis Versiculus *Diffusa est gratia*, dicatur Versiculus *Benedicta tu* ex Laudibus. *a.* Si item occurrat, ut eadem sit Oratio Festi, de quo fit Officium, & ejus, de quo fit commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. *b.* Si de Tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet vel Feria, Antiphona & Versus ante Orationem eodem modo sumuntur ex Proprio de Tempore, si habuerit Propria; alioquin de Psalterio; Oratio verò ex Proprio de Tempore.

A. Quòd si tria aut quatuor Festa, de quibus commemoratio facienda est, similia occurrant, & omnes Antiphonæ & Versiculi ex Laudibus & Vesperis jam dicti sint, Versiculi quidem ex Nocturnis tribus, prout se mutuò sequuntur, Antiphonæ verò ex primo Nocturno sumendi erunt.

B. Hæ

B. Hâc enim de causa plures semper Orationes in Comuni Sanctorum sunt positæ.

IX. Quando fit commemoratio de Dominica, vel Feria, quæ habent propriam Homiliam, nona Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Homilia Dominicæ vel Feriæ, quæ erit vel prima de Homilia, vel tres simul in una Lectione conjunctæ.

X. Si in die, in quo fit Officium novem Lectionum, fiat commemoratio de Festo trium Lectionum, nona Lectio legitur de Festo trium Lectionum, si propriam habuerit; si duas, ex duabus fiat una Lectio, quæ sit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis, quæ habent nonum Responsorium; c. nec quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominicæ vel Feriæ, ut supra; d. nec in Ferijs, aut alijs diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones: nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo Festo, licet habeat Evangelium proprium, & Homiliam. e.

C. Quod non convenienter subjungeretur Lectioni de Sancto.

D. Tunc enim, sicut Simplex huic Dominicæ & Feriæ majori in occurſu cedit quoad ipsum Officium, ita in ipsa quoque nona Lectione cedere debet.

E. Quia Evangelium lectum est in die Festi, & sæpe infra Octavam repetitur, ait Gavantus l. 3. c. 11. n. 36. additque neque legendum esse, etiamsi haberet dies aliqua Octava Evangelium diversum à Festo.

XI. Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo. De duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum Semiduplex,

de Semiduplici ante diem infra Octavam, *f.* de die
infra Octavam ante Ferias Adventûs, Quadrage-
simæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Rogati-
onum, & de dictis Feriis ante Festum Simplex.
S. MARIA (quando in secundis Vesperis Festi-
vum Lectionum, quod Feriâ sextâ celebratum sit,
ea fieri debet commemoratio pro Officio sequenti
Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occur-
rens. De Festo Simplici fit commemoratio ante
Suffragia, seu communes Commemorationes de
Cruce, S. MARIA, Apostolis & Pace, & ante com-
memorationem cujuscunque Tituli vel Patroni Ec-
clesiæ, quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis
prædictis præponeretur. *g.* De quibus Suffragiis
quomodo, & quando facienda sint, habetur inferius
propria Rubrica.

F. Etiam si Semiduplex cum die infra Octavam in die Fe-
sto alicujus Duplicis concurreret; in tali enim casu, licet die
infra Octavam, si Festum Duplex abesset, Vesperas à Capitu-
lo exigeret, adeoque primam Orationem ante Semiduplex
sibi vendicaret, amittit hoc jus ex speciali dispositione Ru-
bricæ, si, occurrente Duplici, de ea & Semiduplici tantum
commemoratio fieri debeat, uti fusiùs alibi ex Gavanto
c. i. n. 39. ostensum est.

G. Quale essent v. g. Trinitatis, Salvatoris, Transfigu-
rationis &c. tunc enim de Simplici Festo occurrente ante
omnes Personas fieri deberet commemoratio, eò quòd Sim-
plicis commemoratio specialis, reliquarum Personarum
verò commemoratio generalis seu communis sit; specialis
autem, cæteris paribus, præferendum sit generali.

TITULUS X.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

I. **S**I aliquod Festum Duplex occurrat in Dom-
nicis Adventûs, & à Septuagesima usque
Dom

Dominicam in Albis inclusivè; in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in tota majori hebdomada, & infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus à Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusivè, in Festo Corporis Christi, & ejus die Octava, in Festo Assumptionis B. Virginis, & Omnium Sanctorum, *h.* transferatur in primum diem Festo Duplici vel Semiduplici *i.* non impeditum, exceptis tamen Festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, quæ in die Octava Corporis Christi celebrantur. *k.* excepto quoque Festo quocunque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam cum aliquibus *l.* ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secundâ, tertiâ & quartâ Adventûs & Quadragesimæ, Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum) celebratur. Si autem Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ; & in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Joannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavæ S. Joannis. Dies autem Octava Sancti Joannis tunc veniens in Octava Corporis Christi non transfertur, sed de illa fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus diei Octavæ Corporis Christi, & id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur, ut non
ideo

ideo dies transferatur, sed ipsâ die de ea fiat commemoratio, quæ aliàs erat Octava, si Festum non fuerit translatum. Quod si Festum per totam Octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine Octava, nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat.

H. Breviùs dici posset, omne Duplex, quòd non est Titulus vel Dedicatio Ecclesiæ, aut Patronus, transferendum esse, si cum Festo vel Dominica primæ vel secundæ Classis occurrat.

I. Non autem die infra Octavam, quia hæc non est die impedita respectu Duplicium (nisi sit primæ, vel respectu priorumque, puta, quæ non sunt Patroni, Tituli, vel Dedicatio Ecclesiæ, etiam secundæ Classis Duplex) imò nec respectu Semiduplicium ad unum duntaxat diem proximè sequentem translatorum.

K. Quibus duobus Festis ob suam solemnitatem specialiter videtur hoc privilegium concessum; unde si aliud Festum, licet pariter foret Duplex primæ Classis, occurreret omnino transferendum id foret.

L. Unde si cum Duplicibus vel Dominicis primæ Classis vel aliâ die privilegiatâ omne Festum excludente occurrerent, similiter transferri deberent.

II. Si in die Octava alicujus Festi habentis Octavam occurrat aliquod Festum Duplex ex Majoribus suprâ in Rubrica de Commemorationibus enumeratis, *m.* fiat de Festo cum commemoratione diei Octavæ; exceptâ die Octava Nativitatis Domini & Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo Festo, *n.* sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis Festis; fiat de Octava, & Festum transferatur, ut suprâ. *o.*

M. Per majora hîc intelliguntur Festa primæ ac secundæ Classis; quæ solemnia alibi vocantur.

N. Quia dies Octava Nativitatis est Festum Circumcisionis, & principium novi anni: dies Octava Epiphaniæ autem continet Evangelium & Mysterium de Baptismo Christi; atque adeò utrumque meritò celebrari debet.

O. Ob quam causam putabant aliqui Octavas has Majoribus Duplicibus per annum annumerandas esse; sed hoc dici non potest, quia Majora Duplicia semper præferuntur Minoribus Duplicibus, non item Octavæ, utpote quæ in concursu cum Duplici dividunt Vesperas cum illo, nisi sint Christi Domini Octavæ; unde habent se Octavæ respectu Duplicium Minorum, sicut Dominicæ respectu Semiduplicium, quæ & ipsæ licet in occurso Semiduplicibus præferantur, uti & in concursu secundarum Vesperarum; in concursu tamen cum Semiduplici præcedente dividunt primas Vesperas cum illo, atque ideo inter Semiduplicia numerantur.

III. Si aliquod Festum Duplex infra Octavam occurrens, alio Majori Festo Duplici impediatur; transferatur in primam diem similiter non impeditam, *p.* & in eo fiat commemoratio de Octava.

P. Nisi Octava, in quam cadit, sit primæ vel secundæ Classis; tunc enim ultra illam transferri debet.

IV. Si in alijs Dominicis à supradictis *q.* occurrat Festum Duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

Q. Hoc est, si in Dominicam, quæ non sit primæ vel secundæ Classis, cadat.

V. Festum Semiduplex occurrens diebus supradictis; *r.* & infra Octavam Corporis Christi, & alijs Dominicis per annum, transfertur in primam diem simili Officio *s.* non impeditam: occurrens verò in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus *t.* (ut dictum est in Rubrica de Octavis) transfertur in sequentem diem cum commemoratione Octavæ; quæ *u.* si fuerit alio Festo Duplici vel Semiduplici impedita, prædictum

Festum

Festum Semiduplex veniens in Dominica, x. transferatur post Octavam, ita ut Festum Semiduplex infra Octavam occurrens non transferatur, nisi proximè sequentem diem.

R. Duplicibus intellige, aut Octavis primæ, secundæ, tertix Classis.

S. Id est, novem Lectionum.

T. Quales sunt omnes & solæ Octavæ quartæ Classis spectu Semiduplicis.

V. Dies proximè sequens.

X. Eadem est ratio de Semiduplici cum alio die infra Octavam, quàm Dominica occurrente; nam & tunc Semiduplex transfertur in sequentem diem; verùm hæc Rubrica intelligenda est de solis Festis ex præcepto, non autem de Festis ad libitum celebrandis; de his enim speciale est decretum à S. D. N. Clemente X. in hæc verba editum: *Quamvis Sacra Rituum Congregatio die 18. Julij 1671. Adhibuit, an de Sanctis ad libitum fieri possit Translatio, respondit affirmativè; nihilominus eadem Congregatio die 2. Decembris, priore decreto non obstante, censuit, in futurum Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies Festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo die Festorum mobilium, si Sanctissimo visum fuerit; & de prædicta Sanctitas sua sensum eiusdem Sacra Congregationis approbavit & confirmavit, & in posterum ita iussit. 20. Dec. 1673.* Cuius quod tamen decretum, nonnulli dubitârunt, an per hæc Festiva mobilia etiam dies infra Octavam, vel ipsæ dies Octavæ etiam intelligantur? Ratio dubitandi est, quòd dies infra Octavam propriè non vocentur Festa, atque adeò illo decreto Clementis comprehensa censerì non posse videantur. Verùm probabilius videtur, etiam ipsos dicto decreto includi, cum ipsorum continuatio Festi, atque adeò meritò etiam eodem quoque hoc cum Festo ipso privilegio gaudeant. Neque obstat, quòd communiter non Festi, sed speciali nomine dies infra Octavam appellantur; per hoc enim solùm probatur eos non esse Festa strictè accepta, prout scilicet hæc significant dies peculiaribus nominibus Feriæ, Dominicæ, diei infra Octavam non expressos; non autem probat, eos non posse Festa

accepta, prout scilicet hæc præcisè significant diem, de quo Officium aut Commemoratio ab Ecclesia celebratur, vocari; alioqui sanè nec dies Cinerum, nec Dominica Septuagesimæ, in Tabula Temporaria Festorum mobilium poni debuisset, cum nec ipsa strictè loquendo Festum dici queant.

VI. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de Majori, id est, de Duplici, & Semiduplicia transferantur. *z.* At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori seu solemniore, &, quæ minoris solemnitatis sunt, transferantur. *a.*

Z. Nisi Semiduplicia talia privilegiata sint, uti sunt Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes.

A. Solemnius autem, & dignius hoc loco censetur, quod in Litanij Majoribus ordine præcedit, exceptis Sanctis Veteris Testamenti, à S. Joanne Baptista, qui ex speciali privilegio Apostolis ab Ecclesia præfertur, distinctis, quos Gavantus s. 5. c. 18. n. 7. Apostolis postponendos censet, nullam tamen addens causam hujus prælationis; unde meritò eorum perinde, ut Sanctorum Novi Testamenti dignitas secundum communem regulam metienda est.

VII. Si plura Festa novem Lectionum transferenda sint, priùs transferatur Duplex, quàm Semiduplex; *b.* & inter plura Duplicia, quod est magis solemne, semper priùs transferatur, & priùs celebretur; *c.* alioqui si sunt æqualia, *d.* unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda proprijs diebus. *e.*

B. Etiam si ordine temporis in Calendario antecedit Semiduplex.

C. Nam sola solemnitas in translatione attenditur, non autem dignitas, quâ unum Festum excedit alterum ejusdem Ordinis, id est, inter plura Duplicia communia non consideratur, an unum sit Martyris, vel Confessoris &c. sed tantum an sit Duplex majoris & altioris Classis.

D. Quoad Classem.

Instruct. II.

I

E. Id

E. Id est, ordine, quo in Kalendario præcedunt.

VIII. Festum Simplex nunquam transfertur, sed si de eo non fieri potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus Simplici nulla fit commemoratio, *f.* eo anno fit de eo ampliùs.

F. Id est, in Duplicibus primæ Classis.

IX. Si aliquod Festum novem Lectionum, quo annotatum est fieri commemorationem alius Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in assignata, sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel die Festo, in quo fieri possit, cum non Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: *g.* Festum verò novem Lectionum transfertur sine ulla ampliùs commemoratione Festi Simplicis prædicti. Quod etiam servatur in Commemorationibus occurrentibus in Vigilijs, cum de vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti; tunc enim commemoratio Festi Simplicis fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

G. Unde colligit Gavantus *f.* 3. c. 11. 34. si nona Lectione fit ex Communi Sanctorum desumpta, non esse dicendam in tali casu, uti in Festo S. Hermetis, quod in Festo S. Augustini occurrit, videre est.

TITULUS XI.

DE CONCURRENTIA OFFICII.

I. **C**oncurrentia Officij attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium consequenti die. Itaque cum die Officij

Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis, cum sequenti in primis Vesperis. *h.*

H. Unde brevius dici potest Concurfus, quando duo Festa novem Lectionum se proximè sequentia eisdem Vesperas exigunt.

II. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici in primis, si utraque sint ejusdem Solemnitatis, regulariter *i.* fit à Capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, nisi aliud in propriis locis annotetur. Si verò non sunt ejusdem Solemnitatis, servetur differentia in Rubricis de commemorationibus & translatione Festorum assignata, ut scilicet Festa majora habeant primas & secundas Vesperas integras cum commemoratione Minorum, quando de eis fieri debet. *k.* Si autem post aliquod Festum ex ijs, quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de commemorationibus, sequatur immediatè aliud ex solemnibus Majoribus, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis. Inter Festa æqualis Solemnitatis servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus alijs, & habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa B. MARIÆ, Festis Sanctorum. Item Festa Angelorum & Apostolorum ceteris alijs; & Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, alijs in Kalendario descriptis.

I. Nam interdum ex speciali causa integræ Vesperæ uni conceduntur, uti in secundis Vesperis SS. Joannis & Pauli concurrentibus cum Octava S. Joannis Baptistæ 26. Junij videre est.

K. Uti fit, si Simplex aut dies infra Octavam cum Duplicibus per annum concurrunt.

III. Duplici verò concurrente cum Festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam cum Festo Simplici, & cum Officio B. MARIÆ Sabbato, omnia in secundis Vesperis fiunt de Duplici cum commemoratione illorum, *l.* nisi illud Duplex fuerit de ijs, quæ excipiuntur in Rubrica de commemorationibus, in quibus aliqua commemoratio omittuntur. *m.* Duplici etiam, & quocumque Festo novem Lectionum concurrente cum Feria, vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, & nisi de Feria sequente. Sed si Festum celebretur in Adventu & Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicitur. Idem dicendum in Festis Simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

L. Excipe casum, quo dies Octava cum Dominica privilegiata concurreret; in hoc enim casu, cum sequenti die Officium de Octava die fieri non posset, hoc ipso etiam Vespas haberi de illa non deceret, sed eadem vel de Dominica vel de Semiduplici antecedente usque ad Capitulum recitari deberent, ut notat Gavantus *l.* 3. c. 8. n. 13.

M. Uti sunt Duplicia primæ & secundæ Classis, de quibus supra dictum.

IV. Semiduplici Festo, Dominica, & die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplice omnia de Duplici cum commemoratione illorum nisi Duplex fuerit ex numero Majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Festo concurrente cum alio Semiduplice sequente, cum Dominica, vel cum die infra Octavam

vam, à Capitulo fit de sequenti, & commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo Simplici, vel cum Officio B. MARIÆ in Sabbatho, omnia de Semiduplici cum commemoratione sequentis.

V. Dominica concurrente cum sequenti Festo Semiduplici, & cum die infra Octavam, vel cum Festo Simplici, omnia de Dominica, n. cum commemoratione sequentis.

N. Hic meritò dubitari potest, cur, si Dominica concurrat cum Semiduplici antecedente, dividat Vesperas: si autem concurrat cum sequenti, integras habeat? & respondet Gavantus s. 3. c. 9. n. 7. id fortè factum, quòd secundæ Vesperæ magis à concursu Populi frequententur, atque adeò magis deceat de Dominica dici; Psalmi autem Sabbatini plus ferialitatis, quàm festivitatis habeant, ideòque incongrui visi sunt, ut inter Dominicam & Festum Semiduplex intercederent; sed hæc ratio potius contrarium probaret, scilicet etiam in Sabbatho Psalmos Sabbati accipiendos esse, cum illi non ad Sabbathum, sed ad Dominicam pro primis Vesperis pertineant; & alioqui congruum videretur, ut, sicut alia Festa fori primas Vesperas integras plerumque habent, ita etiam Dominica habeat. Meritò ergo tota diversitas iterum in arbitrium Ecclesiæ refundenda est.

VI. Die infra Octavam concurrente cum sequente Dominica, vel Semiduplici, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. Dies Octava cum Simplici propriè non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ & eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.

VII. Die Octava concurrente cum alia die Octava, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptâ Octavâ Corporis Christi concurrente cum Octava S. Joannis Baptistæ, in

qua de sequenti fit tantum commemoratio; & quando aliter in propriis locis notatur. Die Octavâ concurrente cum sequenti Duplici minori etiam translato, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. *o.* Concurrente verò cum sequenti duplici Majori etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ; exceptâ die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. *p.* Si autem sequens Festum, etiam translatum fuerit ex Solemrioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine, n. 6. totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. *q.*

o. Ob quam causam dies Octava, ut supra dictum est inter Majora duplicia non numeratur; quia licet in occurru præferatur Minoribus Duplicibus, non tamen etiam in concursu antefertur.

p. Eò quòd hæ Octavæ sint Festa Domini, quorum privilegium est, inquit Gavantus s. 3. c. 8. n. 23. ut aliis Duplicibus in concursu præferantur; sed cur non etiam ipsæ hæ Octavæ, si cum alia die Octava cujusdam Sancti concurrant integras habent Vesperas, sed omnes, exceptâ Octavâ Corporis Christi, dividunt Vesperas, ut in hoc ipso paragrapho dicitur? iterum ergo ad voluntatem Ecclesiæ recurrendum est.

q. Multò magis autem hoc fieri convenit, si sequens Festum fit ex Solemrioribus primi Ordinis.

VIII. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis *r.*) quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur Nonam, & deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud simplex, Psalmi erunt de Festiva occurrente in Psalterio ad Vesperas, & à Capitulo

lo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratio-
ne præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectio-
num, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla commemo-
ratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum
sequatur, subintrat Officium de Tempore, & Vesperæ
totæ erunt de Feria.

R. Saltem ratione dimidiarum Vesperarum, quas & Sim-
plex, & Festum novem Lectionum exigunt, licet illud huic
cedere debeat.

IX. Feria non potest concurrere cum alio Offi-
cio in secundis Vesperis; neque cum ipsa potest esse
concurfus in primis Vesperis, quia ejus Officium in-
cipit, & desinit, ubi desinit & incipit quodcunque
aliud Officium. Quamvis propriè (si ei dandum est
principium) sequente Feria post aliam Feriam ejus
Officium incipiat à Matutino, & terminetur sequen-
te aliâ Feriâ ad Completorium; & ideo, si Feria se-
quatur aliam Feriam, in Vesperis præcedentis Feriæ
nihil fit de sequenti, quoad ea, quæ in sequenti Fe-
ria sunt propria. Verbi gratiâ, si in Vesperis Feriæ
tertiæ ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria,
dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, non autem
ea, quæ est propria in sequenti Feria quarta Cine-
rum; nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ di-
cendæ sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod
etiam fit, quando Feria per annum præcedit Feriam
Quatuor Temporum vel Vigiliam. Hâc enim ratio-
ne superiùs dictum est in concurrentia aliorum Of-
ficiorum, cum Feria nullum Officium concurrere,
& nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio
Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat com-
memoratio in Vesperis, non fit ratione concursûs,
sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventûs

& Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione Temporis ex præcepto Ecclesiæ præmitti non debet.

X. Cùm verò occurrit, ut Festum Simplex veniat in Feria quarta & sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, & in Vigiliis, quibus jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum s.) erunt in Feria communi per annum, non autem de sequenti ut dictum est, cum commemoratione Festi Simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod non debet fit, quia sequens Feria habeat primas Vesperas, quia, cùm Festum Simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit, illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, Festum Simplex occurrat Feriâ quintâ in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Ferie tertiæ præcedentis. t.

S. Ex quo textu refutatur sententia Gavanti s. 3. c. 8. dicens, quòd si occurrat dies Octava in die xvii. Decembris, in pridianis Vesperis nihil de Octava fieri debeat, quòd sequenti die Officium de ea dicendum non sit; Refutatur, inquam, quia, licet dies Octava amittat jus suum primas Vesperas, non tamen etiam dies infra Octavam præcedens, utpote dies novem Lectionum, jus suum amittit ad secundas Vesperas, quæ proinde de illa dici possunt, & debent.

T. Ex quibus omnibus toto hoc Titulo claritatis gratia fusissimè dictis patet, omnia, quæ de Concurrentia duorum Festa aut Octavæ inæqualis Classis concurrant, Vesperæ integræ digniori cedant; si verò æqualia concurrant, cedant Vesperas, exceptâ Dominicâ in secundis Vesperis & Semiduplici æquali, & Octavâ die Nativitatis, Epiphaniæ

Paschæ, & Ascensionis Christi, quæ æqualibus Duplicibus in concursu præferuntur.

TITULUS XII.

DE ORDINANDO OFFICIO EX PRÆDICTIS RUBRICIS.

I. **S**I quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario, & in Tabula Festorum mobilium, *u.* de quo fiat Officium sequenti die, & ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis.

v. Quæ immediatè ante Kalendarium in Breviario posita est, & Tabula Temporaria Festorum mobilium vocatur, eò quòd ibidem indicetur pro singulis annis subsequentiibus, quo mense & die Festa quædam nulli certo mensi aut diei mensis affixa, puta Septuagesima, Dies Cinerum, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Festum Corporis Christi ponantur.

II. Si ordinandum Officium sit de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinatè ponitur, quod est commune Officij de Tempore, cum distributione Psalmorum; & ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones & Responsorialia, quædam Antiphonæ & Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsorialia Brevia, & Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum, quæ sunt in Psalterio: *x.* cum verò Propria non fuerint, dicuntur, ut in Psalterio.

x. Unde hoc Proprium dicturo Officium, ab initio statim inspiciendum erit, nisi aliunde ipsi certò constet, nihil ibi Proprium contineri.

III. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum

(nisi Proprium habeat in Proprio Sanctorum ubi pro qualitate *a.* Festi, si novem Lectionum est, Duplex vel Semiduplex fuerit, omnia ordinantur, illis exceptis, quæ propria suis locis ponuntur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ & Lectionibus *b.* exceptis) omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, & prima & secunda Lectio, vel prima tantum in Officio de Tempore sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi aliæ in Propriis locis ponantur. *c.*

Z. Quod proin similiter ante omnia post Kalendarum inspiciendum est.

A. Id est, dignitate; & eo ordine, qui in Litanij Memorabilibus observatur.

B. Quæ ex Psalterio & Proprio de Tempore sumendæ sũt.

C. Uti in Vigiliis maximè contingit.

IV. In majoribus Solemnitatibus & Festis per annum, totum Officium ordinatur, ut in propriis locis ponitur. *e.*

E. Id est, Festa Domini in Proprio de Tempore; Festa Sanctorum verò (illis, quæ infra Octavam Nativitatis ponuntur, eò quòd ordinarias leges non sequantur, exceptis in Proprio Sanctorum.

V. In Festis B. MARIÆ (omissis illis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, alia quædam requirenda sunt ex Communi Officio parvo, circa finem Breviarij.

VI. Modus inchoandi Officium, dicendi Invocatorium, Hymnos, Antiphonas & Versus, habetur in principio Psalterij. Cùm verò Antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integræ ante Psalmum sicut in fine Psalmi.

VII. M.

VII. Modus dicendi Absolutiones & Benedictiones ante Lectiones, legendi & terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.

VIII. Quomodo sit inchoandum & terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio. f. Quomodo terminandum per Antiphonas B. MARIÆ, habetur in fine Completorij.

F. Excepto casu, quo singulæ Horæ minores privatim dicerentur, tunc enim Hora quævis per Orationem Dominicam terminanda foret, id quod non in Psalterio, sed infra titulo 16. & 32. dicitur.

IX. Sed ut hæc omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ de singulis Horis, earumque partibus distinctè cognoscendis.

TITULUS XIII.

DE MATUTINO.

I. **A**D Matutinum g hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundùm diversitatem Officij, nisi aliter in quibusdam diebus h. notetur. *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*, omnia secretò. Deinde clarâ voce Hebdomadarius i. dicit: *Domine Labia mea &c.* pollice signando sibi os signo Crucis: *DEVS in Adjutorium* manu extensâ signando se signo Crucis à fronte ad pectus, & à sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio k. omnium Horarum, cum dicitur *DEVS in Adjutorium*) cum *Gloria Patri* & aliis, ut in principio Psalterij. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore vel Sancto l. quod dicitur cum Psalmo *Venite exultemus* eo modo, quo in Psalterij

principio, describitur dicto Psalmo, & repetito Invitatorio dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore vel de Sancto convenit.

G. Sic dictum, eò quòd ordinariè matutino tempore dicatur.

H. Uti in Officio Defunctorum, & triduo ultimo Sacre Hebdomadæ contingit.

I. Sic vocatur, qui per hebdomadam initium facere debet Officio, & Capitula atque Orationes canere.

K. Ergo non in medio facienda Crux est, etiamsi idem Versus dicatur.

L. Omittitur hoc Invitatorium in Festo Epiphaniæ, & triduo ultimo Sacre Hebdomadæ, & quando in Officio Defunctorum unum tantum Nocturnum dicitur. Omissio autem Invitatorio etiam Psalmus *Venite* cum Hymno sequenti omittitur.

II. Postea in Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis & Versibus, quæ Tempori vel Festo conveniunt, & totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur per tres Nocturnos distinctos hoc modo.

III. In primo Nocturno *m.* dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona, sed tempore Paschali, id est, à Dominica in Albis usque ad Pentecosten *n.* (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona, & in fine cujusque Nocturni dicitur Versus *o.* postea *Pater noster p. Et ne nos. Absolutio. Exaudi. Benedictio Benedictione perpetua* & aliæ ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica Adventûs ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per Ordinem in Officio de Tempore occur-

runt, (nisi aliæ assignentur 9.) & ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio : Si de Tempore, ut in Proprio de Tempore ; Si de Sancto , ut in Proprio Sanctorum ; alioquin ut in Communi , etiamsi Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officij de Tempore.

M. Sic dicto, quia Antiqui noctu tres Vigiliæ observabant, & distinguebant; quartæ verò Vigiliæ Laudes servabant, uti Gavantus l. 4. c. 1. n. 9. notat.

N. Intellige quoad Antiphonas, nam quoad alia tempus Paschale usque ad Sabbati post Pentecosten Vesperas exclusivè durat.

O. Sic dictus, eò quòd per illum ad DEUM vertamur, & debitam intentionem renovemus, uti iterum Gavantus l. c. n. 13. notat.

P. Secretò in Choro usque ad *Et ne nos &c.*

Q. Uti fit in Duplicibus primæ Classis, & Festis in Feria majore aut Vigilia occurrentibus.

IV. In fine ultimi Responsorij cujuscunque Nocturni dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorij eo modo, quo notatur in tertio Responsorio primæ Dominicæ in Adventu, nisi aliter in propriis locis notetur. r.

R. Uti fit in triduo ultimo Sacræ Hebdomadæ & Officio Defunctorum, in quibus non dicitur hoc *Gloria Patri*.

V. In secundo Nocturno dicuntur alij tres Psalmi, Antiphonæ, Versus, *Pater noster*, Absolutio *Ipsius pietas*, & ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu: tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, & ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.

VI. In tertio Nocturno alij tres Psalmi cum Antiphonis, ut suprà: post tertiam Antiphonam Versus *Pater noster*, Absolutio *A vinculis*, & Benedictiones

nes

nes consequentes ad singulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelij de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officij, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post septimam & octavam Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum, aliquando autem etiam dicitur post Nonam. s. ut suis locis notatur, & in fine ultimi Responsorij aut Octavi aut Noni dicitur *Gloria Patri*, ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus *DEVM laudamus*.

s. Uti fit in Dominicis Adventus, & à Septuagesima usque ad Pascha.

VII. In Officio trium Lectionum ad Matutinum *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*, *Domine Labia*, Invitatorium, & Hymnus in Feriali Officio, si non sint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: In Festis de Festo, ut in Communi Sanctorum; deinde Nocturnum Feriæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, & Tempore Paschali cum una Antiphona, Alleluja: qui dicuntur tam in Officio Feriali, quam in Festis Simplicibus.

VIII. Post Psalmos & Antiphonas dicuntur Versus in Feriali Officio, ut in Psalterio: in Festis, ut in Communi Sanctorum; qui in Festis sumitur secundum Feras ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsorialia, ut dicitur infra in Rubricis de Versibus & Responsorialibus. t. Post Versum dicitur *Pater noster*, Absolutio, & Benedictiones, ut habetur infra in Rubricis de Absolutionibus & Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulæ in Feriali Officio dicuntur de Scriptura, quæ

eo die

eo die occurrit in Proprio de Tempore: si adfit Homilia, singulæ tres de Homilia. In Festis prima & secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura. *u.*

T. De facto autem in singulis Ferijs post Psalmos & Verficulos de Tempore sunt descripti.

V. Nisi ex tribus unam facere placeat.

IX. Post singulas Lectiones in Ferijs, extra Tempus Paschale, dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsorialia; tempore Paschali verò & in Festis duo tantum Responsorialia dicuntur, scilicet post primam & secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorij, secundi scilicet, aut tertij dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorij, nisi aliud notetur. Quæ Responsorialia in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum; ex Feriali Officio, ex Dominicis, quando propria per Ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubricis de Responsorialibus. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem dicitur *Te DEVM laudamus.*

TITULUS XIV.

DE LAUDIBVS.

I. AD Laudes x. dicto Hymno *Te DEVM*, vel ultimo Responsorio; Hebdomadarius absolute dicit: *DEVS in Adjutorium* ut supra. *z.* & dicuntur Psalmi, & Canticum *Benedicite* vel aliud, ut habetur in Feriali Officio extra Tempus Paschale cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi & Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Pal-

Palmarum inclusivè) & in Feriali Officio Temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In prædictis verò Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè dicuntur, ut suis locis ponitur. In Feriali Officio per annum, extra Tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.

X. Sic dictas, eò quòd Laudem divinam apertè & specialiter contineant.

Z. Intellige, si Laudes statim Matutino subjungantur; alioqui enim juxta communem sensum Authorum, teste P. Gobat tr. 5. n. 673. contra Azor. *Pater & Ave* recitandum est ante initium.

II. Antiphonæ in Dominicis, quando Propriæ non assignantur, dicuntur, ut in Psalterio. In Festis novem & trium Lectionum, si non assignantur propriæ, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum *Benedictus* cum eodem Cantico, & Oratio: omnia pro qualitate Officij de Tempore, vel de Festo.

III. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes autem de Cruce, de S. MARIA, de Apostolis, de Patrono, & de Pace similiter, quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem, nisi alia commemoratio Festi simplicis occurrat, quæ semper prædictas commemoraciones præcedit, de quibus in proprijs Rubricis dicitur.

IV. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, & *Oremus*: post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, deinde *Benedicamus Domino*, & *Versus Fidelium animæ*, *Pater noster*, *Dominus det nobis*

suam pacem, & Antiphona B. MARIÆ, ut habetur in fine Completorij. Alij tunc discedendum sit à Choro; alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litanix *b.* ut in propria Rubrica dicitur.

A. Et in fine illius Versus *Divinum auxilium maneat, semper nobiscum.*

B. Tunc enim statim post *Benedicamus*, omisso Versu *Fidelium* inchoantur illæ Missæ, vel Psalmi, vel Litanix, aut Officia.

TITULUS XV.

DE PRIMÆ.

I. **A**D Primam *Pater noster, Ave MARIA, Credo, DEVS in adjutorium*, Hymnus *Jam lucis*. Deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermisâ, ut dicitur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis & Ferijs dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem & tempore Paschali tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

II. Post Antiphonam dicitur Capitulum *Regi sæculorum*. In Feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem*. Deinde Responsorium breve *Christe Fili DEI*. Post Responsorium breve in Officio Duplici, & infra Octavas, statim dicitur Oratio *Domine DEVS Omnipotens*. In alio Officio dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus, omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem *Adjutorium* Hebdomadarius signat se signo Crucis à fronte ad pedtus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel

Instruct. II.

K

tan-

tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis: *Tibi Pater, vel Vobis Fratres, & Te Pater, Vos Fratres*. Et similiter dicit *Misereatur nostri, perducatur nos, peccatis nostris*; quod etiam servatur ad Completorium. In Feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.

III. Post Orationem Primæ, vel, si dicatur Officium B. MARIÆ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium, deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis, quæ etiam dicantur ab ijs, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli in Festis, & aliquibus diebus pro lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium; alioquin de Communi: alio tempore tam in Dominicis, quam Ferijs Lectio brevis Officio illius Temporis in Proprio assignatur.

C. Martyrologium sic dictum, quia Catalogum Sanctorum, sed Martyrum præcipue continet, de quibus jam olim, teste S. Augustino, quotidie ad Altare commemoratio fiebat, ideoque pridie recitabantur eorum, quorum Natalitia sequenti die recolenda erant, nomina. Porro rectè notat Gavantus l. 1. c. 21. n. 8. omnes quidem Leges initio Martyrologij descriptas, sed quartam & sextam præcipue, diligenter observandas esse, ut scilicet is, de quo Officium dicendum est, primo loco ponatur, secundo ij, de quibus commemoratio facienda est. Translato autem Festo alicujus Sancti, non fit translatio etiam in lectione Martyrologij, nisi in casibus in ipso Martyrologio expressis. Sed & Vigiliâ translata in Sabbatum, non anticipatur Lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur Officium cum jejuniis. Quomodo autem nomina quædam difficiliora in Martyrologio contenta pronuntiari debeant, rectius in fine hujus Instructionis per specialem Catalogum indicabitur.

TITU

TITULUS XVI.

DE HORIS, TERTIA, SEXTA,
ET NONA.

I. **A**D Tertiam, Sextam, & Nonam ante singulas Horas dicitur *Pater noster*, *Ave MARIA*, *DEVS in adjutorium*, Hymnus & Psalmi, ut in Psalterio: Antiphonæ secundum Officij qualitatem, ordine, quo suprâ. Dictis Psalmis & Antiphonâ dicitur Capitulum, & Responsorium breve pro qualitate Officij, quæ in Dominicis & Ferijs, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in Proprio Sanctorum non sunt propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum* & Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore; si autem sit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum, alioquin in Communi.

II. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, & dicitur, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, & *Pater noster* secretò, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.

TITULUS XVII.

DE VESPERIS.

I. **A**D Vesperas *Pater noster*, *Ave MARIA*, *DEVS in adjutorium*. Deinde dicuntur quinque Psalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signantur. *d.* In Dominicis autem & Ferijs Antiphonæ & Psalmi semper dicuntur, ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona Alleluja)

nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi (ut in Dominicis Adventûs , & triduo ante Pascha) assignentur.

D. Et communiter ex Laudibus desumuntur , addito Alleluja tempore Paschali , nisi jam antè unum habuerit ; tunc enim duplicate illud non oportet.

II. Post Psalmos & Antiphonas dicitur Capitulum , Hymnus , Versus , Antiphona ad *Magnificat* , cum eodem Cantico , & Oratio , omnia de Tempore vel de Sancto pro qualitate Officij.

III. Preces , quando dicendæ sunt , dicuntur ante Orationem ; Commemorationes verò de Cruce , S. MARIA , Apostolis , Patrono , & Pace post Orationem , ut in proprijs Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum , ut in alijs Horis. e.

E. Id est , per *Pater noster* , si privatim dicantur ; si verò publicè , per Antiphonam B. Virginis , nisi aliud Officium sequatur.

TITULUS XVIII.

DE COMPLETORIO.

I. **A**D Completorium absolutè dicitur Lectio brevis , ut in Psalterio. Deinde *Pater noster* , *Confiteor* , *Misereatur* , *Indulgentiam* , *Converte* , *DEVS in adiutorium* , Antiphona , Psalmi , Hymnus , Capitulum cum Antiphona , omnia , ut in fine Psalterij , & post Antiphonam in Duplicibus & infra Octavas dicitur Oratio ; in alijs autem Officijs ante Orationem dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus , ut ibidem in Psalterio. f.

F. Quibus tamen tempore Paschali non additur Alleluja.

II. Post Verbum *Benedicat & custodiat nos* dicitur

tur una ex Antiphonis B. MARIÆ cum Versiculo & Oratione, ut ibidem: & dicto Versu *Divinum auxilium*, dicitur secretò *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*. g.

G. Quibus alij addunt Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes*: vel Orationem *Sacrosancta & individua Trinitati* ad lucrandas Indulgentias subjungunt.

TITULUS XIX.

DE INVITATORIO.

I. Invitatorium *h.* semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo *Venite exultemus*, ordine in principio Psalmi præscripto, sed variatur pro Officij qualitate, ut in Psalterio & Proprio de Tempore, ac in Proprio & Communi Sanctorum.

H. Sic dictum, quia per illud Homines ad confitendum Domino invitantur.

II. Non dicitur in die Epiphaniæ *i.* nec in triduo ante Pascha; *k.* ut suis locis notatur: nec in Officio Defunctorum per annum *l.* excepto die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac in die obitus seu Depositionis Defunctorum. *m.*

I. Quia Magi à nemine invitati venerunt ad Christum adorandum.

K. Quia tunc Apostoli, qui alios invitare debuerant, dispersi fuerant.

L. Quia, ut inquit Gavantus l. 9. c. 2. n. 12. in hoc Officio Exequias Christi in Passione fieri solitas imitamur.

M. Quibus etiam diem Tertium, Septimum, ac Trigesimum addit Gavantus l. c. eò quòd & hi solemniter peragantur; ad solemnitatem autem deceat plures invitari.

TITULUS XX.

DE HYMNIS.

I. **H**ymni *n.* semper dicuntur in qualibet hora, præterquam à triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum.

N. Sic dicti, quia Laudes DEI continent. Unde & Christus Matth. 26. post institutionem SS. Sacramenti Hymno dicto exivit in montem Oliveti.

II. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum *Venite*, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes & Vesperas dicitur post Capitulum; ad Horas ante Psalmos, ad Completorium post Psalmos & Antiphonam.

III. Dicuntur autem in Officio de Tempore, ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt; qui Hymni de Psalterio in Dominicis & Ferijs assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi exceptâ) & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusivè. In Officio de Sanctis dicuntur, ut in Comuni Sanctorum, nisi Proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

IV. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi, & per Octavam, & quandoque fit Officium B. MARIÆ tam novem, quam trium Lectionum *o.* etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni *Ave maris Stella*, & Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum Versum proprium) dicitur: *IESU tibi sit gloria, qui natus es*

de Virgine, ut in ejus Officio parvo, etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem Metri. *p.* nec habeant ultimum Versum proprium, ut Hymnus S. Crucis ad Vesperas, & plurimorum Martyrum ad Matutinum.

O. Etiamsi non totum Officium, sed tantum commemoratio de ea fieri debeat, ut si ante Sabbatum Feriâ sextâ Festum novem Lectionum incidat; tunc enim, ut Gavantus *l. 5. c. 6. n. 15.* ex libello Officiorum PP. Discalceatorum à Sacra Congregatione Rituum approbato probat, & ex inferius dictis hoc ipso paragrapho colligitur, adhuc in Vesperis & Completorio hic Versus variari debet.

p. Id est, Dimetri Jambî; nam tales sunt & Strophæ istæ, quæ substituuntur.

V. In Epiphania Domini, & per Octavam in fine omnium Hymnorum dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui apparuisti Gentibus.*

VI. A Dominica in Albis usque ad Ascensionem in Pentecoste, & per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: *DEO Patri sit gloria, & Filio, qui à mortuis;* etiam in Festis Sanctorum, eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem Metri, nec habeant ultimum Versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

VII. In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno: *Salutis humanae Sator*) dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui Victor in cælum redis;* similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.

VIII. In Transfiguratione Domini dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui te revelas parvulis;* alijs temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.

TITULUS XXI.

DE ANTIPHONIS.

I. **A** Domnes Horas nocturnas & diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, q. ut in Psalterio, quæ cum Psalmis positæ in Vesperis Dominicæ & Feriarum, in Completorio, & in Nocturnis (etiam quando fit Officium de Festo trium Lectionum, id est, Simplici) nunquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona *Alleluja*: excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas & Nocturnos Dominicæ ponuntur Antiphonæ propriæ. In Laudibus & aliis Horis mutantur pro diversitate Temporum, ut in Proprio de Tempore habentur: cum verò non assignantur propriæ, semper dicuntur, quæ positæ sunt in Psalterio.

Q. Quæ idem juxta Alcuinum sonant, ac vox opposita seu contrafonans; aut vox reciproca juxta Amalarium apud Gavantum s. 5. c. 7. n. 1. ubi addit, per Antiphonam hoc loco Versum quemdam, qui ab uno unius Chori inchoatur, & ad cuius Symphoniam Psalmus per duos Choros cantatur, sicque ipsi Chori duo per illam quasi conjunguntur intelligi.

II. Antiphonæ, quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad *Magnificat*, pro prima Dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea Dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti: & semper in Sabbato ponitur Antiphona ad *Magnificat*, quæ contigua est libro Scripturæ in Dominica ponendo.

III. In Festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur

cuntur Antiphonæ ex Laudibus, nisi propriæ in Vesperis assignentur. Ad Horas similiter tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, & aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus quartâ prætermisâ, hoc ordine: Ad Primam prima: ad Tertiam secunda: ad Sextam tertia: ad Nonam quinta.

IV. In Ferijs Adventûs, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicæ præcedentis. Ubi verò in Laudibus Feriarum fuerint propriæ, sumuntur ex ipsis Laudibus.

V. Tempore Paschali in Officio tam novem Lectionum, quàm trium, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut suis locis ponitur. Et in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluja*, quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluja*, tacetur; neque aliud ejus loco dicitur.

VI. In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum, & Laudes tantùm, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos vel Cantica integræ, r. & post Psalmos vel Cantica integræ repetuntur: in alijs Horis, & in Officio non Duplici, in principio Psalmi vel Cantici inchoatur tantùm Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex initio Psalmi vel Cantici, & incipit, sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici, sed continuatur, quod sequitur in Psalmo vel Cantico ab eo loco, ubi secundùm Ritus diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluja. s.*

R. Hoc enim proprium est solis Duplicibus, ut in cer-

tis Horis omnes Antiphonas duplicent; in una autem Hora unam Antiphonam duplicare etiam Simplicibus convenit, uti in Ferijs in decimam Septembrem, & subsequentes dies incidentibus videre est, quæ ante *Magnificat* integras dies Antiphonas ibidem assignatas petunt.

S. Sicut evenit in septimo Psalmo Officij de Dedicacione tempore Paschali recitati, tunc enim propter positum *Alleluja* in fine Antiphonæ, iterum Psalmus, *Qui habuit*, a principio inchoari debet. Et hoc, quod de Antiphonis modo dictum est, suo modo etiam in Invitatorio observandum est. Rectè tamen monet hoc loco Arnaudus, attendendum, ut in enuntiatione Antiphonarum initium illarum nunquam finis unius Syllabæ, neque ejusmodi, ut Orationem absurde præcidat.

VIII. Antiphonis proprijs tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, semper cedunt, quæ habentur in Psalterio, & in Communi Sanctorum.

IX. Quando fit aliqua Commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu, quæ sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit commemoratio: ita ut in Vesperis sumatur Antiphona, quæ assignatur ad *Magnificat*: in Laudibus, quæ ad *Benedictus* cum Versibus, qui habentur post Hymnum. t.

T. Intellige, nisi prius in Officio ipso jam sint dictæ, tunc enim mutari debent eo modo, qui supra in Titulo de Commemorationibus assignatus est.

X. Antiphonæ S. MARIE positæ in fine Completorii dicuntur, ut inferius in propria Rubrica disponetur. a.

A. Habent enim hæ Antiphonæ magnam à prioribus diversitatem, utpote quæ & longiores sunt, & non ad inchoandos Psalmos aut Cantica, sed ad Horas integras terminandas ordinantur, & ad solius B. Virginis Laudes spectant, ut per illam nostræ quodammodo Preces DEO offerantur, & intercessione illius cum nostris Precibus conjuncta efficaciores, ac DEO gratiores efficiantur.

TITULUS XXII.

DE PSALMIS.

I. Psalmi *b.* in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis & Ferijs dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio; nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signetur. In Festis autem dicuntur, ut in Proprio loco signantur; alioquin, ut in Communi Sanctorum.

B. Hos tantopere æstimavit S. Augustinus 28. *dist. qua* *ipsis*, ut dicere ausus sit, nomen Sacerdotis vix in eo constare, qui Psalterium (id est, librum Psalmos continentem) ignorat. De ijs fufius agens Gavantus l. 5. c. 6. c. 8. sex diversa capita ait explicanda venire, scilicet Vocabulum, Auctorem, Materiam, Ordinem, Cantum, Usum. *Vocabulum* quod attinet, Psalmus Græcis, idem Latinis significat, quod Cantus sive Sonus, qui fit manibus, pulsato Psalterio; aut etiam voce juxta illud Psalmi 33. *Bene psallite ei in vociferatione.* Vnde ferè idem est, quod Hymnus. *Auctor* eorum primarius est Spiritus Sanctus, secundarius David juxta S. Chrysostomum S. Augustinum, & alios. *Materia* Psalmorum est, ut sint quasi Compendium totius S. Scripturæ; quidquid enim Moyses vel in Historia tradidit; vel in Lege præcepit; & quidquid Prophetarum reliqui, vel exhortando ad virtutes, vel prædicando futura scripserunt, id ferè totum in Psalmis comprehenditur, ut Bellarminus & alij apud Gavantum l. c. n. 13. notant; præcipuè tamen *Laudes & Preces* divinas continet. *Ordo* triplex est, 1. *Historicus*, quo scilicet tempore quivis Psalmus sit compositus; & hic ordo difficulter haberi potest; hoc solum constat, omnes ante annum Mundi 3020. quo David mortuus est, compositos esse. 2. *Biblicus*, qui in Sacris Biblijs habetur, & juxta triplicem viam perfectionis in tres Quinquagenas divisus videtur, ut prima ad incipientes, secunda ad proficientes, tertia ad perfectos pertineat. 3. *Ecclesiasticus*, qui ab Ecclesia observatur, & in Breviario notatur; juxta quem Psalmi in Matutinales & Vespertinales dividuntur. *Cantus* ab Apostolis inchoatus, ab

initio modico flexu vocis constabat, sed paulatim auctus est, præsertim à S. Athanasio, ut S. Augustinus l. 10. Conf. c. 33. insinuat. *Alternus* autem S. Ambrosio præcipuè tribuitur & significat alternam Sanctorum ad bene operandum exhortationem. *Vsus* eorum potissimus est, ut Ecclesia per eorundem DEVM & Sanctos illius condignis Laudibus honoret, eorum Festa cum majori solemnitate celebret, variâsque ab ijs gratias ac beneficia petat, & impetret.

II. Psalmi ad Laudes de Dominica cum Cantibus *Benedicite* dicuntur in omnibus Festis per annum & in Ferijs Temporis Paschalis.

III. Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum alijs Psalmis in Psalterio assignatis (quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, c. etiam in Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) & tertia Dominica post Pentecosten inclusivè usque ad Nativitatem Domini exclusivè: & à secunda Dominica post Epiphaniam usque ad Septuagesimam exclusivè: à Septuagesima autem usque ad Pascha ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit*, quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere*, ut suo loco ponitur. In Dominicis verò Temporis Paschalis, à Dominica in Albis inclusivè usque ad Ascensionem exclusivè dicuntur tantum tres Psalmi, sicut in Festis, addito Symbolo Sancti Athanasij. Alij Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini* in Feriali tantum Officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale. In Ferijs verò temporis Paschalis, in Festis per annum, & in Sabbato, sive de S. MARIA, sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet *DEVS in nomine*, *Beati immaculati*, & *Retribue*, etiamsi Festum Duplex celebretur in Dominica.

C. Nam quædam Dominicæ, nempe infra Nativitatem, Epiphaniam, Ascensionem, Corporis Christi non habent Officium ex Psalterio, sed proprium.

IV. In Dominicis autem, quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, post Psalmos semper additur Symbolum S. Athanasij *Quicumque*, ut infra in propria Rubrica dicitur.

V. Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam & Nonam, & ad Completorium nunquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

VI. Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum, excepto ultimo, qui mutatur; cum verò aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi, ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octavæ dicuntur, ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.

VII. In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri d.* præterquam in Psalmo *DEVS, DEVS meus, ad te de luce vigilo*, & in Psalmo *Laudate Dominum de cælis, e.* qui conjunguntur cum alijs Psalmis, & in fine ultimi tantum dicitur *Gloria*, ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo Majoris Hebdomadæ *f.* ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, *g.* cujus loco pro Defunctis dicitur *Requiem æternam dona eis, Domine*, etiamsi fiat Officium pro uno tantum.

D. Ex institutione S. Damasi, ut in ejus Festo legitur; ad cujus imitationem S. Ambrosius in Hymnis etiam similem Laudem de SS. Trinitate addidit.

E. Quibus etiam Psalmum 149. *Cantate adde.*

F. Quia tunc SS. Trinitas visa est obscurari, ait Gavantus n. 12.

G. Quia

G. Quia hic Versus est lætitiæ, atque adeò non convenit tristi Defunctorum Officio.

VIII. Ut Sacræ vulgatæ editionis puritas inconfusa & illibata servetur, etiam quoad interpunctiones & distinctiones in Sacris Biblijs appositæ, additus est Asteriscus, ut in nota Musicæ partitionis in medio Versu.

TITULUS XXIII.

DE CANTICIS.

I. **C**Antica *h.* dicuntur in Officio in Tempore *h.* tam de Dominica, quàm Ferijs ad Laudes, Vesperas, ad Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

H. Quod Euthemius in eo à Psalmo distingui putat, quod Psalmus sit carmen cum instrumento Psalterij, Canticum autem vox Musica cum Harmonia solo ore prolata. Mystice verò, juxta Gavantum f. 5. c. 9. n. 1. Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat.

II. In Festis & tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite*, ut in Dominicis, & in fine ejus non dicitur *Gloria Patri*, sicut in alijs Canticis dicitur, nec respondetur *Amen*. Alia Cantica Ferialia ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando Officium sit de Feria extra tempus Paschale.

III. Canticum *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio. *i.*

l. Quæ, quia ex Evangelio deprompta sunt, Evangelica vocantur, ac propterea ad initium eorum aliqui, sicut ad initium Evangelij, signum Crucis formant, quemadmodum etiam Episcopo ad *Magnificat* in Cæremoniali Episcoporum l. 2. c. 1. præscribitur.

TITU-

TITULUS XXIV.

DE VERSIBVS.

I. **V**ersus *k.* semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum & Antiphonam Nocturnorum, sive in Officio dicuntur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes & Vesperas Versus dicitur post Hymnum: ad Horas dicitur in Responsorio brevi post repetitionem partis Responsorij, dicto *Gloria Patri.*

K. A vertendo dictus, quia olim illum Cantantes ad Orientem vel Altare se vertebant; nunc autem adhibetur, ut per illum, dum surgimus, ad Orationem, Absolutionem, & Lectiones ferventius dicendas excitemur, ait Gavantus f. 5. c. 10. n. 2.

II. In Pascha Resurrectionis, & per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, in Nocturno tantum dicitur Versus, in alijs Horis non dicitur, ut ibidem. *l.*

L. Quia tanta est festivitas cum brevitate conjuncta, ut stimulis non egeamus, Gavant. l. c. n. 3.

III. Quando fit aliqua commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum & Laudum, nisi aliter notetur.

IV. Versibus prædictis tempore Paschali semper additur *Alleluia*: non autem Versibus Precum, *m.* nec in *Pretiosa* ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini. *n.*

M. Quia in illis potius attenditur ratio humilitatis & mœroris, quàm lætitiæ.

N. Quia non terminant Responsorium, nec sunt Versus ad excitandum, ut *ij*, de quibus in hoc capite agitur.

V. In

V. In Officio Festi trium Lectionum post omnes Psalmos Ferialès cum Antiphonis dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine: Feriâ secundi & quintâ Versus primi Nocturni: Feriâ tertiâ & sextâ Versus secundi Nocturni: Feriâ quartâ Versus tertij Nocturni. o.

o. Qui tamen in singulis Ferijs post Versiculos Feria diligenter notari sunt.

VI. Versus positi in Psalterio ad Laudes & Vesperas semper dicuntur, quando alij proprij non assignantur in Proprio de Tempore.

TITULUS XXV.

DE ABSOLUTIONIBVS ET BENEDICTIONIBVS.

I. **A**bsolutiones p. & Benedictiones dicuntur ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet post Versum dicto: *Pater noster. Et ne nos.* dicitur Absolutio & Benedictiones, ut ibi: præterquam in Matutinis tenebrarum q. majoris Hebdomadæ, & in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio & Benedictiones non dicuntur.

P. Absolutiones putat vocari Gavantus l. 5. c. 11. n. 1. vel quia absolvitur Nocturnum: vel quia simul cum Oratione præcedenti petimus mundari corda, & corpora nostra ad audiendum Verbum DEI in Lectionibus. Vel, quia, ut Rupertus l. 1. c. 11. putat, rogamus Dominum Messis, ut mittat Operarios in Messem suam, & aperiat cor nostrum in Lege sua, ne semen, id est, Verbum DEI, quod audituri sumus in Lectionibus, aut volucres, id est, mali Genij, comedant, aut spinæ noxiarum cogitationum suffocent, aut in petra duris cordis, quæ non habet humorem, non crescat: Vel quia in tertia Absolutione, à qua tanquam nobiliori reliquæ denominantur, à vinculis peccatorum absolvi petimus.

Q. Vocatur hoc Matutinum *tenebrarum*, eò quòd pridie tenebris jam paulatim ingruentibus cantari soleat.

II. Si fiat Officium trium Lectionum, & sit de Feria, in qua singulæ Lectiones sunt de Scripturâ, Absolutiones & Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine: Feriâ secundâ & quintâ dicuntur Absolutio & Benedictiones primi Nocturni: Feriâ tertiâ & sextâ secundi Nocturni: Feriâ quartâ & Sabbato tertij Nocturni.

III. Si autem singulæ tres Lectiones sunt de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundùm Ferias; Benedictiones verò dicuntur, ut in tertio Nocturno, scilicet prima Benedictio erit: *Evangelica dicta*: Secunda *Divinum auxilium*: tertia *Ad Societatem*. Si sit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundùm Ferias, ut suprâ: Benedictiones verò semper dicuntur, ut in tertio Nocturno, hoc modo: Prima, *Ille nos benedicat*: Secunda, *Cujus, vel, Quorum, vel Quarum Festum colimus*: Tertia *Ad Societatem*.

IV. Quando fit Officium S. MARIE in Sabbato, Absolutio & Benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarj.

TITULUS XXVI.

DE LECTIIONIBVS.

I. Lectiones r. leguntur ad Matutinum dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Versibus, Absolutionibus quoque, & Benedictionibus, ut suprâ. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quolibet Nocturno tres: in Ferijs & Festis Simplicibus leguntur tantùm tres Lectiones.

Instruct. 11.

L

R. Sic

R. Sic dictæ, quia non cantantur, sed leguntur tantum. Quarum usus juxta aliquos à Lectione, quæ fiebat in Scholis Patrum: juxta alios à more Hebræorum certis diebus in Synagoga de Lege & Prophetis legendi originem sumpsit.

II. In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo: In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ, quando suis locis propriæ aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur, ut in Officio de Tempore, quæ suâ quâque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno, si de Sancto fit, tres Lectiones leguntur de Vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit: quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, positæ in Proprio, aut ex Communi assignatæ: & primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelij, de quo est Homilia, etiam infra Octavam. Excipiuntur ab hoc Ordinario Lectionum Matutina tenebrarum ante Pascha & Defunctorum, ut in suis Officijs ponitur.

III. Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium, s. contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, t. nona Lectio legitur de Sancto: Si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una
Lectio,

Lectio, omiſſâ nonâ Lectione, in dicto Officio novem Lectionum, vel Octavæ Lectioni adjuncta. *u.*
Quòd ſi eodem die occurrat Dominica, vel Feria, quæ habeat Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, & ejus loco legitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, ſcilicet vel prima Lectio de Homilia, vel tres ſimul in unam Lectionem conjunctæ.

S. Nam ſi nonum Reſponſorium dicitur, ſemper omittitur Lectio de Sancto, eò quòd non conveniat ejuſmodi Reſponſorium Lectioni de Sancto. In Octava Corporis Chriſti verò, etiamſi nonum Reſponſorium non dicatur, omittitur tamen Lectio de Sancto ob ſpeciale decretum 8. Jun. 1670. à Sacra Congregatione editum.

T. Unde rectè colligit Gavantus ſ. 3. c. 11. n. 34. ſi propria Lectio de Sancto non adſit, omnino omittendam eſſe.

V. Quod etſi ordinariè pro libitu fieri poſſit, in quibuſdam tamen caſibus debet omnino nona Octavæ conjungi, ut notat Gavantus ſ. 5. c. 12. n. 16. ſi ſcilicet Lectio nona contineat ſpeciales Laudes Sancti, de quo fit Officium novem Lectionum, ut in Feſto SS. ſeptem Fratrum contingit.

IV. In Officio trium Lectionum, ſi fit de Feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura, niſi tres ſint de Homilia, quia tunc omiſſis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habeat duas Lectiones, prima tantùm erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus junctis fiat una: Secunda & tertia de Sancto. Si unam tantùm habuerit, vel propriam, vel ex Comuni, assignatam, prima & ſecunda erunt de Scriptura occurrente, tertia de Sancto; quod etiam ſervatur in Officio B. MARIÆ in Sabbato. *x.*

X. Scilicet ut primæ duæ Lectiones ſemper de Scriptura occurrente ſumantur, reliqua de B. Virgine.

V. Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore ſic diſtributæ ſunt per annum, ut quotidie

aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando alia, ut dictum est, non assignantur. z.

Z. Uti fit in Ferijs Majoribus & Vigilijs, in quibus Lectiones de Homilia in Evangelium legendæ sunt.

VI. Initia librorum Sacræ Scripturæ (qui ferè semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiamsi fiat Officium de Sancto, nisi in Festo alia propria Lectiones Scripturæ, vel de Communi assignentur; tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam a. & Lectiones illi die de eadem Scriptura assignatæ, vel cum Superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur; ita ut non oporteat eos ampliùs in aliquo sequenti die resumere; sed illæ legantur, quæ suâ quâque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur. Quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

A. Id est, talem, in qua Lectiones ex Communi, vel alia propria ex Scriptura assignentur.

VII. Cùm autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ tempore Paschali, aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri, infra hebdomadam illorum temporum impeditur, aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ aut Prophetæ, quoad commodè fieri potest, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturæ ponendo, vel Festo non impeditâ; alioquin in præcedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamsi plura initia eodem die poni oporteret.

VIII. De Scriptura quoque tantùm positum est, quantum satis videtur pro numero hebdomada-

rum,

rum, quæ esse possunt inter Epiphaniam, & Septuagesimam, & inter Pentecosten, & Adventum. Ubi verò contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimæ, quod superest de Epistolis B. Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarum & Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. *b.* Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti) cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc Lectionibus de his libris omissis legitur de Scriptura, quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipatè in Feria, eo modo, quo dictum est de Dominis n. 4. & 5. tunc post Officium Dominicæ anticipatæ in sequentibus diebus legatur Epistola S. Pauli assignata Dominicæ anticipatæ, & sequentibus Ferijs, omissis alijs, quæ sunt assignatæ præcedenti hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicæ assignantur, non habuerit, nisi quatuor, in proprijs locis notatur.

B. Quia hæ Epistolæ omnes simul sumptæ constituunt unum librum, teste Gavanto hîc n. 12. atque adeò sufficit primum incepisse.

IX. Lektionen de Scriptura positæ in Communi Sanctorum, leguntur in Festis, ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur: item quando aliquod Festum novem Lectionum in Quadragesima, & Quatuor Temporibus, in

secunda Feria Rogationum, & in Vigilia Ascensionis, in quibus Ferijs in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia; tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Comuni Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis Ferijs occurrat dies Octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetantur Lectiones, quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerunt: Si verò occurrat dies infra Octavam, tunc sumantur de Comuni. Aliæ Lectiones secundi & tertij Nocturni posita in Comuni Sanctorum similiter leguntur, quando in Proprio Sanctorum assignantur; & quando in Ecclesia aliqua aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus, quia in ea est solemne, aut consuetum est in ea celebrari, quod proprias & approbatas de Festo Lectiones non habuerit.

X. Lectiones primi Nocturni leguntur cum Titulo Libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in proprijs lecis notetur. c. Lectiones etiam secundi Nocturni, quando sunt ex aliquo sermone vel tractatu, leguntur cum titulo & nomine Authoris, aliàs minime. d. Et similiter in tertio Nocturno præponitur titulus Authoris, cujus est Homilia.

C. Uti in Nativitate Domini contingit, in qua Lectiones primi Nocturni sine titulo legi jubentur, etiam si sint ex Isaia Propheta desumptæ.

D. Nisi etiam Vitæ Sanctorum à Classico quodam Authore sint conscriptæ, ut v. g. à S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, uti in Festo S. Joannis Evangelistæ 26. Decembris videre est.

XI. In fine cujusque Lectionis dicitur *Tu autem, Domine, miserere nobis.* e. & respondetur: *DEO gratias.* Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in

principio Completorii, & in fine Primæ post *Pretiosa*; præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha, & in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

E. Quia hæc verba non ad Hominem, sed DEVM diriguntur, iisque gratia petitur, ut debitum ex talibus Lectionibus fructum referre possimus; unde merito *Domine*, non *Domne* dicitur.

TITULUS XXVII.

DE RESPONSORIIS.

I. **R**esponsorialia f. dicuntur ad Matutinum post Lectiones, id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infra.

F. Sic dicta, quia uno Lectiones dicente, & Versum, Chorus respondet. Ideoque ab Ecclesia, teste Gavanto f. 5. c. 13. n. 4. instituta sunt, ut ex iisdem colligamus, Ecclesiam optare, ut non Auditores tantum Verbi divini in Lectionibus propositis finis, sed Factores etiam. Juxta Hugonem verò ib. cit. sunt Canticum Spirituale ad animos inter legendum sublevandos ordinatum.

II. In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica) & in Dominicis ab Octava Paschæ inclusive usque ad Adventum exclusive, & à Dominica infra Octavam Nativitatis inclusive usque ad Septuagesimam exclusive dicuntur octo tantum Responsorialia, & in fine Tertij, & Sexti, & Octavi dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorij: quod regulare est in fine ultimi Responsorij cujuslibet Nocturni tam in Officio novem, quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri* repetitur Responsorium à principio: excepto etiam Officio Defunctorum, cujus

loco dicitur *Requiem eternam*. Qui Versus *Gloria Patri* quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in proprijs locis notatur. g. Post nonam Lectionem prædictis diebus, quando octo tantum dicuntur Responsoriorum, immediatè dicitur Hymnus *Te DEVM*.

G. Ut in Dominicæ primæ Adventus primo Nocturno videre est.

III. In Dominicis Adventus, & in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè, & in triduo ante Pascha dicuntur novem Responsoriorum, quia tunc non dicitur *Te DEVM*.

IV. In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Festo, & in Ferijs temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis & Ascensionem (excepta Feriâ secundâ Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium) dicuntur duo Responsoriorum, quia post tertium dicitur *Te DEVM*. Quæ Responsoriorum in Festis sumuntur de Communi Sanctorum, & in dictis Ferijs temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primò sunt posita hoc ordine: Secundâ & quintâ Feriâ primum & secundum Responsorium primi Nocturni: Feriâ tertiâ & sextâ primum & secundum Responsorium secundi Nocturni: Feriâ quartâ primum & secundum Responsorium tertij Nocturni, b.

H. Ita tamen, ut semper in secundo Responsorio velut ultimo illius Officij Versus *Gloria Patri* post secundam repetitionem partis Responsorij addatur.

V. In alijs Ferijs extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoriorum (quia in illis non dicitur *Te DEVM*) hoc ordine: Feriâ secundâ & quintâ tria Responsoriorum primi Nocturni: Feriâ tertiâ & sextâ tria

tria Responsorialia secundi Nocturni: Feriâ quartâ & Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Responsorialia tertij Nocturni Dominicæ præcedentis, in quæ primò sunt posita. Verùm quia in tertio Nocturno Dominicarum à tertia post Pentecosten inclusivè i. usque ad Adventum exclusivè, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra hebdomadam, quod est septimum in Dominica: propterea quòd Responsorium *Duo Seraphin* non dicitur, nisi in prædictis Dominicis, ideo Feriâ quartâ, & in Sabbato, quando Responsorialia sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit, quod est septimum Dominicæ; secundo & tertio loco dicitur secundum & tertium sequentis Feriæ, id est, post secundam & tertiam Lectionem dicitur secundum & tertium Responsorium, quod est secundum & tertium secundæ sequentis Feriæ, si propria Responsorialia habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum & tertium Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominicæ. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam habentur Responsorialia propria in singulis Ferijs, excepto Sabbato, in quo, quando fit de Feria, dicuntur Responsorialia Feriæ quartæ. k.

I. Nam ab hac propriè incipit iterum Officium Dominicarum, quia prima post Pentecosten est Dominica Trinitatis; secunda verò est Dominica infra Octavam Corporis Christi, quæ habent propria Officia constantia novem duntaxat Psalmis, ut Festa novem Lectionum.

X. Quod solùm accidere potest, si Dominica, quæ poni non potest, in Sabbato sit anticipanda.

VI. Sumuntur autem Responsorialia ex eo loco, ubi primò sunt posita in principio mensis vel libri,

& repetuntur in alijs sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur; vel donec in illo libro legatur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima hebdomada mensis sunt posita per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Ferijs per sequentes hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi verò non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur dicto ordine.

VII. Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primò ponuntur, propter Festum Duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur primâ die ejus hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, & omittantur alia, quæ fortè in illa Feria propria habentur. Si verò in tota hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti hebdomada vel Dominica similiter non impedita, dummodo in ea alia Responsoria non sint primò ponenda; alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quæ in aliquibus Ferijs per hebdomadam habentur, si eo die, quo posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in alium diem, sed omittuntur.

VII. Tempore Paschali in fine Responsorij ante Versum *l.* additur *Alleluja.*

l. Quem Gavantus *l. c. n. 5.* putat in Choro semper ab eo dicendum, qui inchoat Responsorium; quamvis aliqui in privata recitatione contrarium practicent. Monet quoque idem Author *n. 9.* Responsoria de S. Tobia, si in Dominica, aut secunda & tertia Feria poni non possint, Feriâ quartâ ponenda esse; sed postea Feriâ quintâ, ne eadem immediatè repetantur, Responsoria secundi Nocturni Dominicæ sumenda esse eâ ratione, quæ in Festo SS. Philippi & Jacobi in Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha occurrentibus observatur.

TITV.

TITULUS XXVIII.

DE RESPONSORIIS BREVIIBVS.

I. **R**esponsorialia brevia *m.* dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, & ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam & Completorium semper dicuntur eodem modo, *n.* ut in Psalterio. In alijs Horis, quando Officium fit de Dominica vel Feria per annum, dicuntur, ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesimâ, tempore Passionis & Paschali, ut suis locis, habentur propria. In Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

M. Quæ nihil aliud sunt, quàm certi quidam Versiculi post Capitulum recitari soliti, atque ideo Responsorialia vocantur, quia Chorus per ea quodammodo respondet illi, qui Capitulum dixit. Brevia verò appellantur, tum quia sunt per se breviora, quàm Responsorialia Lectionibus subjungi solita; tum ut ab ijsdem Responsorialibus distinguantur, utpote quæ ob eandem causam Responsorialia magna à nonnullis vocantur.

N. Puta, à potiori; nam Versus interdum mutatur, ut mox infra dicitur.

II. In fine Responsorij brevis dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione Responsorij eo modo, quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis; tunc enim non dicitur *Gloria Patri* in Officio de Tempore, sed solùm repetitur Responsorium breve à principio.

III. In Responsorio brevi ad Primam loco Versus *Qui sedes* in Adventu dicitur: *Qui venturus es in*

mundum; tam in Ferijs & Dominicis, quàm in Festo, excepto Festo Conceptionis B. *MARIÆ*. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus: In Festo Corporis Christi & per Octavam, & in omni Officio B. *MARIÆ* tam novem, quàm trium Lectionum, etiam si infra ejus Octavam fiat de Festo vel Dominica, dicitur *Qui natus es de MARIÆ Virgine*: In Epiphania & per Octavam, & in Festo Transfigurationis: *Qui apparuisti hodie*. A Dominica in Albis inclusivè usque ad Ascensionem exclusivè, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis (excepto Officio S. *MARIÆ*) semper dicitur: *Qui surrexisti à mortuis*: In Ascensione usque ad Pentecosten exclusivè dicitur: *Qui scandis super sidera*: In Pentecoste & reliquo anni tempore tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis dicitur: *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in Psalterio.

IV. Responsorialia brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Feria. Similiter quæ ponuntur in prima Dominica Quadragesimæ, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusivè. Et quæ ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Cena Domini exclusivè. Item quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusivè. Quæ verò ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem B. *MARIÆ* tam novem, quam trium Lectionum (excepto Festo Assumptionis ejusdem) dicuntur semper Responsorialia brevia de Communi Virginum.

V. Tempore Paschali à Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè in fine Responsorij brevis ante primum Versum dicuntur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorij, & in fine secundi Versûs unum tantùm *Alleluja* tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Responsorijs brevibus addantur *Alleluja*, non ideo adduntur ad Primam & Completorium. o.

O. Uti in Festo Corporis Christi videre est, atque in Festo Inventionis S. Crucis.

TITULUS XXIX.

DE CAPITVLIS.

I. **C**apitula p. semper dicuntur (præterquam à Feria quinta in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas & Laudes, & alias Horas, dictis Psalmis & Antiphonis; ad Completorium verò dicto etiam Hymno.

P. Sic dicta, quia sunt ut plurimum in Festis ex Capitibus Epistolarum, quæ in Missa leguntur, desumpta.

II. Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis & secundis Vesperis in Laudibus & Horis, dicuntur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum: & à secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem Ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Alijs temporibus dicuntur,

ut in

ut in Proprio de Tempore: si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ & Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

III. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, & in Ferijs temporis Paschalis, & in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus ad Tertiam, & in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

IV. In Ferijs tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum *Regi seculorum*, sicut in Dominicis & Festis: Post Capitulum semper respondetur *DEO gratias. q.*

¶ Non autem in fine dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis*: quia nec *Iube Domine benedicere* præmittitur, quæ duo sunt correlativa, ut ait Gavantus hîc l. 5. c. 15. n. 7.

TITULUS XXX.

DE ORATIONE.

I. **O**ratio in Vesperis & Laudibus dicitur post Antiphonam ad *Magnificat*, & *Benedictus* immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces, quæ dicuntur post Antiphonam, & in fine illarum Oratio. Ad primam & alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendæ sint Preces, tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium dicitur Oratio post Antiphonam *Salva nos*, nisi dicendæ sint Preces, & tunc dicitur post illas.

II. Ad Primam & Completorium nunquam omittuntur Orationes, quæ habentur in Psalterio,

præterquam in triduo ante Pascha, in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum *Miserere* dicitur Oratio diei, ut suo loco ponitur. In alijs Horis regulariter dicitur Oratio, quæ dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigilijs, & Feria secunda Rogationum Oratio, quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam, & Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si sit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima; vel Dominicæ præcedentis, ut in alijs Ferijs. *r.* Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavam dicitur Oratio, ut in die Festi: Similiter & in die Octava, nisi alia propria assignetur.

R. Id est, ijs, quæ in Quadragesima, non occurrunt.

III. Ante Orationem, etiam, quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus *Dominus vobiscum*: Respondetur: *Et cum Spiritu tuo*: qui Versus non dicitur ab eo, qui non est in Ordine Diaconatus, nec à Diacono, præfente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus Ordinem non pervenerit, ejus loco dicitur: *Domine exaudi Orationem meam*: Respondetur: *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur, *Oremus*, postea Oratio, quæ si unica tantùm dicatur, Versus *Dominus vobiscum*, vel, *Domine exaudi* repetitur finitâ Oratione, postquam fuerit responsum *Amen*. Sin autem plures Orationes dicendæ sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona & Versus, deinde *Oremus*. *s.* & post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum*: postea dicitur *Benedicamus Domino*, respondetur

detur *DEO gratias*. Deinde dicitur Versus *Fidelium animæ*, qui Versus non dicitur post *Benedicamus Domino*, ad Primam ante *Pretiosa*, neque ad Completorium ante Versum *Benedicat*, nec quando post aliquam Horam immediatè sequitur Officium parvum *B. Mariæ*, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litanïæ.

S. Unde Regula generalis est, ut, quotiescunque inter Orationes plures interponitur Antiphona, singulis vox *Oremus* præponatur, ut rursus invitatio fiat ad orandum; si vero nihil interponatur, ad solam primam Orationem ea vox dicatur.

IV. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur per *Dominum nostrum*: si ad Filium, *Qui vivis & regnas*: si in principio Orationis fiat mentio Filij, dicitur *Per eundem*: si in fine Orationis, *Qui tecum vivis & regnat*: si fiat mentio Spiritûs Sancti, dicitur *Unitate ejusdem Spiritûs Sancti*.

V. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantùm dicitur sub sua conclusione, *Per Dominum*, vel aliter *t.* ut suprâ: aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione, sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo alio modo, quàm ut suprâ *u.* Orationes dicuntur: item in Litanijis Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

T. Id est, per *Qui vivis*, aut *Qui tecum regnat*.

V. Intellige, sine *Oremus* cuilibet Orationi præmissio.

TITULUS XXXI.

DE HYMNO TE DEVM.

I. **H**ymnus *Te DEVM* *x.* dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium, quàm novem

Lectio-

Lectio-
edicam
d Com
ndo pol
um par
am, au
niæ.
que inte
vox Ore
n; si ver
n ea vo
cluditur
is & re
lij, dic
um vi
icitur
, prima
ominum
ar, nisi
i semper
Defun-
u. Ora
s omnes
is locis
emisso.
mnibus
novem
Lectio-

Lectio-
um, & per eorum Octavas, excepto Festo
SS. Innocentium. 7. nisi venerit in Dominica; di-
citur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in
omnibus Dominicis à Pascha Resurrectionis inclu-
sivè usque ad Adventum exclusivè: & à Nativitate
Domini inclusivè usque ad Septuagesimam exclusi-
vè: & in omnibus Ferijs temporis Paschalis, scili-
cet à Dominica in Albis usque ad Ascensionem, ex-
ceptâ Feriâ secundâ Rogationum, in qua non di-
citur.

X. A S. Ambrosio compositus, & jussu Gelasij Pontificis
in Officio decantari cœptus.

Z. Quia, cum ibi luctus Matrum ob interemptos In-
fantes conceptus repræsentetur, ideòque violaceus color ad-
hibeatur, non decet hunc Hymnum utpote lætitiæ plenum
usurpare.

II. Non dicitur autem in Dominicis Adven-
tûs, & à Septuagesima usque ad Dominicam Pal-
marum inclusivè, neque in Ferijs extra tempus
Paschale.

III. Cùm dicitur, omittitur semper nonum vel
tertium Responsorium, & statim dicitur post ulti-
mam Lectionem. a.

A. Versus *Sanctus*, quia primæ literæ rubro colore no-
tantur, videtur alternatim in hoc Hymno cantandus juxta
Gavantum s. 5. c. 19. num. 8. nisi aliud consuetudo loci
exigat.

IV. Cùm non dicitur, ejus loco ponitur nonum
vel tertium Responsorium: quo dicto statim in-
choantur Laudes. Similiter quando dicitur *Te*
DEVM, eo Hymno dicto statim inchoantur Lau-
des, præterquam in nocte Nativitatis Domini, quia
tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa, ut suo
loco notatur.

Instruct. II.

M

TITU-

TITULUS XXXII.

DE ORATIONE DOMINICA ET
SALVTATIONE ANGELICA.

I. **O** Ratio Dominica *Pater noster*, & Saluatio Angelica *Ave MARIA* semper dicitur secretò ante omnes Horas, præterquam ad Completorium; in cuius principio post Lectionem breuem *Fratres, Sobrij*, dicto Versu *Adjutorium nostrum* dicitur tantùm *Pater noster* secretò, & in fine Completorij statim post Orationem B. *MARIÆ* dicitur *Pater noster, Ave MARIA, Credo* totum similiter secretò. Finitis horis, & dicto Versu: *Fidelium animæ* dicitur similiter secretò *Pater noster* tantùm, nisi sequatur Officium B. *MARIÆ*, quia tunc post illud dicitur *Pater noster*, ut supra; & nisi alia Hora subsequatur, tunc enim semel tantùm dicitur *Pater noster* cum *Ave MARIA* pro principio sequentis Horæ; quâ finitâ dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur illud in fine horæ ultimæ. Si autem post Vesperas immediatè sequatur Completorium, dicto *Fidelium animæ*, incipitur Versus *Iube Domine*.

II. Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clarâ voce *Et ne nos inducas*, semper in principio eâdem voce proferuntur hæc duo verba: *Pater noster*, ut in Precibus & similibus: aliàs nunquam proferuntur, sed dicitur totum secretò. Ad Laudes & Vesperas, quando in Feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clarâ voce ab Hebdomadario.

III. Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium B. *MARIÆ*, quando non coniungitur cum Officio

Officio Domini, quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

TITULUS XXXIII.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM ET SYMBOLO S. ATHANASII.

I. **S**ymbolum Apostolorum *b.* semper dicitur ante Matutinum & Primam, & finito Completorio post Orationem Angelicam totum secretò: etiam si ad Primam & Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando verò dicitur cum Precibus ad Primam & Completorium, clarâ voce profertur *Credo in DEVM*, & in fine *Carnis resurrectionem*, reliquum dicitur secretò: aliàs totum secretò dicitur, ut supra.

B. Sic dictum, quia Apostoli in unum conferentes illud composuerunt.

II. Symbolum S. Athanasij dicitur ad Primam post Psalmum *Retribuere*; in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis & Pentecostes, in quibus dicuntur tres Psalmi consueti, ut in Festis: In Dominicis infra alias Octavas, & in Dominica Trinitatis *c.* alias nunquam: neque si aliquod Festum Duplex celebratur in Dominica. Et in fine illius dicitur *Gloria Patri*.

C. Vnde si alicubi Officium SS. Trinitatis cum Octava celebratur, non propterea, ut Theophylus Raynaudus in Heterod. Spirit. cap. voluit, dicitur per totam Octavam, sed in sola Dominica Trinitatis, cum huic soli Rubricæ ob Mysteriorum altitudinem hoc Canticum attribuant.

TITULUS XXXIV.

DE PRECIBVS.

I. **P**reces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes à *Kyrie eleison*, vel à *Pater noster*.

II. Preces Dominicales ad Primam & Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, & Feria sexta & Sabbato post Octavam Ascensionis, etiamsi infra Octavam fiat Officium de Dominica vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur; aliàs autem semper dicuntur.

III. Preces FERIALES ad Laudes, & per Horas distinctæ, ut in Psalterio, dicuntur tantùm in Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur (exceptâ Vigiliâ Nativitatis, ac Vigiliâ, ac Quatuor Temporibus Pentecostes) & tunc dicuntur flexis genibus. In alijs Ferijs per annum nunquam dicuntur, nisi Dominicales, & in illis non flectuntur genua.

IV. In Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, ac Quatuor Temporum dicuntur Preces FERIALES etiam ad Vesperas, si non sequatur Festum: ad Completorium dicuntur consuetæ de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad Versum *Dominus vobiscum* ante primam Orationem, à Circumstantibus autem usque ad Versum *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem.

V. In Vigilia Preces FERIALES dicuntur tantùm ad Matutinum & per Horas; ad Vesperas verò sequen-

tes non dicuntur, quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam S. Matthiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces Feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, & non Vigiliæ. e. Quod etiam servatur, quando in Feria sexta & Sabbato Quatuor Temporum Septembris in Officio fit de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum; tunc enim in Vesperis Feriæ sextæ dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem Feriæ Quatuor Temporum.

E. Nam quia hæc dies prima Quadragesimæ seu Cincrum est privilegiata, Festum S. Matthiæ in diem proximam non impeditam transferendum est.

VI. Psalmus *Miserere* dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, & Psalmus *De profundis* ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio signantur. f.

F. Sed tunc tantum, quando non dicuntur tres Nocturni, ut notat Gavantus l. 9. c. 2. n. 3. ex Rituali Romano.

TITULUS XXXV.

DE COMMEMORATIONIBVS COMMUNIBVS seu Suffragiis Sanctorum.

I. **C**ommemorationes communes g. seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati, dicuntur in fine Vesperarum & Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusivè, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè in Dominicis, Ferijs, & Festis (nisi Officium sit Duplex, vel infra Octavam, etiamsi de Dominica, vel de Semiduplici infra eas fiat) & illis adjungitur commemoratio de Pa-

trono vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post commemorationem de S. MARIA & de Apostolis pro dignitate illius, ita tamen ut semper ultimo ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in Feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ.

G. Sic dictæ, quia communes sunt pluribus diebus, cum commemorationes speciales uno duntaxat die fiant.

II. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriæ secundæ post Dominicam in Albis, & ea solùm tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.

III. Si facienda fit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.

IV. Commemoratio de S. MARIA non fit cum alijs, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quodcumque fit Officium de ea.

TITULUS XXXVI.

DE ANTIPHONIS B. MARIE

in fine Officij.

I. **A**ntiphonæ B. MARIE positæ in fine Psalterij post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha.

II. Dicuntur autem extra Chorum tantùm in fine Completorii, & in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quodcumque terminatâ aliquâ Horâ discedendum est à Choro.

III. Nunquam verò dicuntur post aliquam Ho-

ram,

ram, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litanæ, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiamsi prædicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediatè subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, & toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem stante.

TITULUS XXXVII.

DE OFFICIO PARVO B. MARIE
& alijs.

I. **D**E Officio parvo B. MARIE, de Officio Defunctorum, de septem Psalmis pœnitentialibus & Litanijs, & de Psalmis Gradualibus, quando & quomodo tam in Choro, quàm extra Chorum dicenda sint, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarij.

II. Tempore Paschali in Officio parvo B. MARIE, quod dicitur in Choro, non additur *Alleluja* Antiphonis, neque Versibus, neque Responsorijs.

TITULUS XXXVIII.

DE TABELLIS OCCURRENTIÆ ET
CONCURRENTIÆ.

I. **E**Xcogitatæ sunt hæ Tabellæ eo potissimum fine, ut citiùs & faciliùs inveniatur, quid in occurſu & concursu circa dispositionem & ordinationem Officij sit observandum; neque laboriosè ad ipsas semper Rubricas perlegendas sit recurrendum. Ut autem hunc finem Lector obtineat, tria

circa has Tabellas nôsse debet, scilicet Scopum, praxin, & Fundamentum.

II. *Scopus* in eo situs est, ut in priore quidem tabula *Occurrentiæ* cognoscatur, de quo celebrandum sit Officium, si plura eodem die Festa occurrant. In posteriore verò Tabula *Concurrentiæ* intelligatur, quomodo idem Officium ordinandum sit, si Festum præcedens cum alio Festo subsequente in Vesperis concurrat.

III. *Praxis* ante easdem Tabulas in Breviario post Rubricarum finem descriptas indicatur his verbis: *Primum* inveniatur numerus positus in Quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, & ex ea clarè videbitur, quid sit agendum. *Exempli gratià*: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ Classis, & Dominica primæ Classis, erit, qui est in angulo superiore primæ Tabellæ, in quo signatur numerus 1. quia si tam Duplex, quàm Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet. 1. Translatio de primo, Officium de secundo, id est, Duplex primæ Classis prædictum transferatur, & Officium fiat de Dominica primæ Classis: quia, cum in his Regulis dicitur de primo seu præcedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; cum de secundo vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica prædicta. Porro angulum hunc communem inveniendi facillima erit praxis, si priùs in inferiori obliquè notato ordine Festorum quaeratur unum ex Festis, de quibus est controversia, &

postea

postea numeretur, quota numero sit cellula illa, in qua Festum illud reperitur. Inde ad superiorem re-
ctis lineis descriptum ordinem fiat transgressio, & alterum Festum, de quo est controversia, quærat; quod ubi inventum fuerit, ab eis cellula numerentur Quadranguli, donec ad illum perveniatur, quem numerus cellulae pro altero Festo quæsitæ designaverat, & hic tandem erit Quadrangulus communis utrique Festo. Quod si verò interdum in aliquo Quadrangulo nullus certus numerus, sed sola cifra seu nulla, ut vocant, descripta inveniatur, signum est, inter ea Festa concursum & occursum fieri non posse; aut certè in proprijs locis annotari in Breviario, quid sit faciendum.

IV. *Fundamentum* ad has Tabulas ritè usurpandas præcipuum est, ut bene cognoscatur differentia Festorum, videlicet quæ sint Duplicia vel Dominicæ primæ vel secundæ Classis, quæ Duplicia & Feriæ majores dicantur; quæ quidem in Breviario post Rubricas hoc ferè ordine describuntur.

Duplicia primæ Classis.

In quibus nulla fit commemoratio quorumcunque Festorum occurrentium, nisi prout suprâ in Rubricis. *h.*

H. Per Festa hæc, de quibus in occursum talium Duplicium nulla fit commemoratio, intelliguntur Festa Duplicia reliqua omnia (exceptis diebus Octavis) & Semiduplicia, & Simplicia, & Vigiliæ, exceptâ Vigiliâ Epiphaniæ, de qua semper fieri debet commemoratio.

Nativitas Domini.

Epiphania Domini.

Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus, & duobus subsequentibus diebus.

M 5

Ascen.

Ascensio Domini.

Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.

Festum Corporis Christi.

Nativitas S. Joannis Baptistæ.

Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Assumptio B. MARIÆ Virginis.

Festum Omnium Sanctorum.

Dedicatio propriæ Ecclesiæ.

Patronus Loci.

Titulus Ecclesiæ.

Festum S. Stephani juxta Andream Castaldum.

I. Circa quem ordinem nota, in eo non observari ordinem dignitatis, sed temporis duntaxat, prout scilicet sibi mutuò per annum succedunt, exceptis penultimis tribus, quæ, quia certum ordinem temporis non habent, secundum ordinem dignitatis posita sunt. Festum S. Stephani verò in fine appositum est, quia non à Rubricis in hac Tabula Duplicibus primæ Classis annumeratur, sed ab Authore duntaxat, qui citatur ob rationes suo loco indicatas.

Duplicia secundæ Classis.

In quibus de Simplicibus fit commemoratio in Laudibus tantum. *k.*

K. Non autem si occurrant Duplicia majora aut minora per annum, aut Semiduplicia.

Circumcisio Domini.

Festum SS. Trinitatis.

Purificatio

Annunciatio } B. MARIÆ.

Nativitas }

Natalitia duodecim Apostolorum. *l.*

Festa Evangelistarum.

Inventio S. Crucis.

Festum S. Laurentij.

Dedi-

Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

Festum S. Josephi.

Festum S. Stephani & SS. Innocentium juxta
Gavantum. *m.*

L. Excipe SS. Apostolorum Petri & Pauli, utpote quod inter Duplicia primæ Classis in superiori ordine positum est.

M. Quæ duo Festa dictus Author s. 6. c. 6. n. 1. & 4. inter Festa secundæ Classis numeranda putat, quia Octava illis datur, quod privilegium nulli Festo, nisi sit ex duplici hac Classe, competit. Sed jam alibi ostensum est, cum Festum S. Stephani in concursu Festo S. Joannis Apostoli præferatur, rectius à Castaldo inter Duplicia primæ Classis numerari; alioqui enim S. Joannis Festum tanquam Apostoli præferri deberet.

DOMINICÆ MAJORES
dividuntur in duas Classes.

Dominicæ primæ Classis, quæ nunquam omit-
tuntur. *n.*

N. Id est, de quibus semper debet celebrari totum Offi-
cium, ita ut omnia alia Festa ipsdem cedere debeant.

Prima Adventus.

Prima Quadragesimæ.

Passionis.

Palmarum.

Paschæ.

In Albis.

Pentecostes.

Trinitatis. *o.*

O. Non quatenus est prima Dominica post Pentecosten, sed quatenus est ipsum Festum Trinitatis in Dominicam cadens, & ob hunc respectum privilegium Dominicarum primæ Classis participat, scilicet, ut nulli Festo cedat, ut alibi fufius explicatum est.

Dominicæ secundæ Classis, quæ non omittuntur, nisi occurrente Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, &

M 6

ejus-

ejusdem Dedicacione; & tunc de ijs fit semper commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus.

Secunda	}	Adventus.
Tertia		
Quarta		
Secunda	}	Quadragesimæ.
Tertia		
Quarta		
Dominicæ	}	Septuagesimæ.
		Sexagesimæ.
		Quinquagesimæ.

Duplicia majora per annum.

Quæ alijs Duplicibus minoribus præferuntur.

Transfiguratio Domini.

Exaltatio S. Crucis.

Festum Nivis.

Visitatio

Præsentatio

Conceptio p.

B. Virginis **MARIÆ.**

Apparitio S. Michaëlis Archangeli.

Cathedra S. Petri utraque.

Festum ejusdem ad Vincula.

Conversio S. Pauli.

Festum S. Joannis ante Portam **Latinam.**

S. Barnabæ Apostoli.

Patronorum minùs principalium. *q.*

R. Quod tamen modo ab Alexandro VII. anno 1664 inter Duplicia secundæ Classis relatum est; uti etiam S. Angeli Custodis Festo idem privilegium concessum est saltem in terris Imperio subjectis.

Q. Quibus aliqui Festa Fori annumerare contendunt, sed P. Georgius Gobat in Alphab. Sacri audiendi ait, se Romanam

mam ea de re scripsisse, & rescriptum fuisse, nihil ibi de hoc ritu constare. Præterea verò de hoc Catalogo notandum, in eodem non ordinem Temporis, sicut in prioribus, sed dignitatis servatum esse, uti considerati patebit.

Feria Majores.

De quibus semper fit commemoratio.

Adventus.

Quadragesimæ.

Quatuor Temporum.

Secunda Rogationum. 7.

R. Vigiliæ non numerantur inter has Ferias, quia, licet plerumque de illis etiam fiat commemoratio, non tamen semper, cum nihil de illis fiat in Officio, si cum Duplici primæ Classis, vel Feria majore occurrant.



TABU.

TABULA OCCURRENTIÆ.
SI OCCURRAT EODEM DIE.

Duplex. 1. Classis.	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4
Duplex. 2. Classis.	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1
Duplex per annum.	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1
Dies infra Octavam.	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3
Dies Octavæ.	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3
Semiduplex.	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1
Simplex.	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3
S. Mariæ in Sabbato.	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria Major.	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0
Vigilia.	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0
I. Tráslatio de primo, Offic. de secúdo.	Vigilia.											
II. Officiũ de primo, translatio de secúdo.	Feria Major.											
III. Commemoratio de primo, Officium de secundo.	S. M A R I A in Sabbato.											
IV. Officiũ de primo, Commemoratio de secundo.	Simplex.											
V. Nihil de primo, Officiũ de secundo.	Semiduplex.											
VI. Officiũ de primo, nihil de secundo.	Dies Octavæ.											
VII. Officiũ de digniori, cōmemoratio de minùs digno.	Dies infra Octavam.											
VIII. Officiũ de digniori, translatio de minùs digno.	Duplex per annum.											
	Duplex primæ Classis.											
	Duplex secundæ Classis.											
	Dominica per annum.											
	Dominica primæ Classis.											
	Dominica secundæ Classis.											

EXCE-

EXCEPTIONES.

I. Notandum, quòd Duplex quodcunque, etiam Patroni, & Tituli Ecclesiæ, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigilijs Nativitatis Domini, & Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori hebdomada, & infra Octavas Paschæ & Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, & in Festo Assumptionis B. Virginis, & Omnium Sanctorum transfertur. s.

S. Qui proin omnes dies privilegiati dicuntur, de quibus supradicta Tabula Occurrentiæ non loquitur; uti nec de alijs, qui sequuntur in reliquis exceptionibus.

II. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantùm de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, & ejusdem Dedicatione cum commemoratione Octavæ: alia Festa transferuntur post Octavam.

III. Infra Octavam Corporis Christi, Semiduplex transfertur: neque fit de Duplici translato, & de ea, quocunque adveniente Duplici, fit commemoratio.

IV. Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica t. transfertur in proximè sequentem diem: quæ si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

T. Idem videtur dicendum, si in aliam diem Octavæ impeditam incidat; nam Dominica videtur tantùm exempli loco posita.

V. De Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi semper fit commemoratio; quocunque Festo illis occurrente.

VI. De alijs Octavis, quæ non sunt in Calendario

rio 16

EXCE-

rio u. nihil fit à Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, & à Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusivè, & à die decima septima Decembris usque ad Epiphaniam. x.

V. Verbi gratiâ, Patrono, Titulari, Dedicatione.

X. Ita, ut, si per aliquot dies de Octava dictum sit Officium, abrumpi debeat tali aliquo die adveniente.

VII. Dies Octavæ nunquam transfertur; ideo, quamquam Nativitas S. Joannis Baptistæ occurrat in die Corporis Christi transfertur in diem sequentem, non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi.

VIII. Si occurrat, ut Patronus vel Titulus Ecclesiæ, descriptus sit eodem die in Kalendario cum alijs Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono vel Titulari, absque commemoratione aliorum. Quod si in dicto Kalendario descripti sint sub Officio Duplici vel Semiduplici, transfertur in primam diem simili Officio non impeditam, & de eis fiat Officium Semiduplex z. nisi sint de majoribus Festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex, ac si proprio die celebraretur. Si verò in Kalendario omnes sint tanquam Festum Simplex, de alijs nihil fit.

Z. Uti in Festo SS. Fabiani & Sebastiani non raro contingit.

A. Ut si S. Philippus alicubi Patronus, vel Titularis foret; tunc enim S. Jacobi Festum alio die celebrari, & quidem sub ritu Duplicis secundæ Classis deberet, quia retineret suum ritum, utpote unum Festum ex *Maioribus*, per quæ intelliguntur Duplicia primæ vel secundæ Classis.

IX. De Ferijs Adventus, & Quadragesimæ, quando de eis non fit Officium, fit commemoratio in

in utrisque Vesperis & Laudibus cujuscunque Festi:
de Quatuor Temporibus, & Feria secunda Rogationum ac Vigilijs in Laudibus tantum. Si verò aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, & Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primæ Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus. b.

B. Ex quibus omnibus colliges, totam Tabulam Occurrentiæ ad sequentes quinque Regulas revocari posse.

Prima Regula est: *De die privilegiato semper facienda est Commemoratio.* Intelliguntur autem hoc loco per dies privilegiatos Dominica, Dies Octava, Dies infra Octavam Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Corporis Christi, Vigilia Epiphaniæ, Feria Major.

Secunda Regula: *Quando duo Festa novem Lectionum (strictè accepta intellige, prout dies infra Octavam excludunt) inæqualis dignitatis occurrunt, semper dignius præferendum est, ac minùs transferendum, nisi in Rubricis specialibus aliud disponatur;* sicut de die Cinerum, licet Simplex duntaxat sit, decretum est, ut omnibus, etiam primæ Classis Duplicibus præferatur. Quæ autem digniora sint p. 1. tit. 4. n. 5. dictum est; ubi hoc solum præterea nota, Diem Octavæ in Occursu omnibus Duplicibus Majoribus & Minoribus per annum, modò non sint primæ vel secundæ Classis, præferendam esse.

Tertia Regula: *De die infra Octavam semper fit commemoratio, solis Duplicibus solemnibus, seu primæ & secundæ Classis exceptis;* in his enim de ea nihil fit, nisi sint Octavæ privilegiatæ Nativitatis Christi, Epiphaniæ & Corporis Christi.

Quarta Regula: *De Simplici Festo occurrente cum digniore Festo semper fit commemoratio, solis Duplicibus primæ Classis, & quoad Vesperas etiam Duplicibus secundæ Classis exceptis, nam in Laudibus hæc admittunt Commemorationem.*

Quinta Regula: *De Vigilia occurrente cum digniore Festo semper fit in Laudibus commemoratio, præterquam in Duplicibus primæ Classis, & Feriis Maioribus.*

TABULA CONCURRENTIÆ.
QUANDO CONCURRAT.

Dominica 1. vel 2. Classis.	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dominica per annum.	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ Classis.	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundæ Classis.	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Tit. Ecclesiæ.	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum majus.	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	1
Duplex per annum minus.	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	1
Semiduplex.	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	1
Dies Octava.	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	1
Dies infra Octavam.	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	1
